THEOLOGIAE MORALIS

RUDIMENTA

BELLACOSA

THEOLOGIAE MORALIS

RUDIMENTA

PER

Sebastianum Castaldi-Tuccillo

Archipresbyterum et Vicarium Foraneum Afragolae

NOVIS ADDITAMENTIS

Etiam ad normam Constit. *Apostolicae Sedis*
Recentiorumque Decisionum SS. Congregationum
Praedita

EDITIO TERTIA

PERQUAM EMENDATA ET AUCTA

NEAPOLI

TYPIS FRATRUM MANFREDI

via s. Nicandri 4

1881

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Ottawa

http://www.archive.org/details/theologiaemorali00bell

LECTORI BENIGNO

Plurimis abhinc annis Illmus ac Revmus Thomas Bellacosa jam Episcopus Cavensis et Sarnensis haec Theologiae Moralis rudimenta breviori methodo ad tironum commodum digessit, pluriesque omnium plausu typis excudit; quae Academiae permultae, praesertim Neapolitanae, jam sibi libentissime adoptarunt. At postquam Constitutio Apostolicae Sedis *IV. idus octobris 1869 ecclesiasticas censuras latae sententiae limitaverat, SS. Cardinalium Congregationes novas decisiones emiserant, et temporum nequitia in Christianam rempublicam varia scelera irrepserant, ista quodammodo reformare necesse erat. Quapropter anno 1874 permissu nostri Emi Principis Xysti Riario Sfortia Card. Archiep. (f. r.) prima editio per me paulo aucta et accommodata in lucem exiit. Post hanc altera (1879) accuratior et abundantior subsecuta est: adeo ut in quaestionibus, cum adesset probabilior sententia monstraretur; in responsionibus brevis ratio adduceretur; sterilitati pauca, maxime ad praxim, supplerentur; majori perspicuitate aliqua de novo reformarentur; leges civiles, ubi fas erat, codice Italico con-*

necterentur; menda, quae effugerant castigarentur. Nunc tandem, paucis adjectis, cunctisque ad trutinam revocatis, quoad ejus facere potui, curavi ut tertia haec editio quam emendatissima prodiret. Restat igitur, ut, tu bonus cum sis, opus meum aequi bonique facias; et si quid rectum in eo reperies, Deo beataeque Virgini Immaculatae acceptum referas: si mancum, mihi adscribas; qui caeteroquin cum D. Bern. ep. CLXXIV. 9. protestor, quod Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc...reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. *Vale.*

THEOLOGIAE MORALIS PROLUSIO

Theologia Moralis definiri potest: *Scientia quae ex principiis naturalibus et divinitus revelatis demonstrat moralitatem actuum humanorum.* Dicitur *scientia quae ex principiis naturalibus et divinitus revelatis*, quia ipsa suas conclusiones deducit ex verbo Dei scripto, vel tradito, vel in corde hominis indito per lumen rationis (1). Dicitur *demonstrat moralitatem actuum humanorum* ad differentiam tum Theologiae Dogmaticae, quae fidei dogmata demonstrat; tum virtutis prudentiae, quae juxta Angelicum Doctorem actus humanos dirigit ad consecutionem finis. En verba: *Ad scientiam* (moralem) *pertinet universale judicium de agendis, sicut fornicationem esse malam; furtum non esse faciendum: sed ad prudentiam pertinet recte judi-*

(1) Nec mirum si praecepta moralia persaepe mutuentur ab humanis; nam haec, ut habeant vim legis, congruere debent rectae rationi, nec adversari veritatibus revelatis, dicente Augustino: *In temporali lege nihil est justum ac legitimum, quod non ex lege aeterna homines sibi derivaverint.* De liber. arb. L. I. Cap. 6. n. 15.

care de agibilibus singulis prout nunc sunt agenda. q. 4. de virt. in comm. art. 6.

Hoc posito ad dignoscendam moralitatem actus humani considerandae sunt et causae, quae ipsum efficiunt, uti *voluntas, libertas,* etc. et regulae quae ipsum dirigunt, scilicet *conscientia et lex.* Porro actus humanus vel est bonus, et ordinatur ad *virtutes*; vel malus, et ordinatur ad *vitia ac peccata.* Peccatis gravioribus plerumque adnexae sunt *reservationes, poenae, et censurae.* Demum virtutes perficiuntur, et ab anima peccata tolluntur per *Sacramenta,* ac praesertim per *Poenitentiam*: idcirco de his omnibus disserit Theologia Moralis, et haec quoque breviori methodo Auctor noster pertractat.

DE ACTIBUS HUMANIS

Q. *Quid est actus humanus?*

R. Est ille, qui procedit a voluntate deliberata (1).

Q. *Quid est actus hominis?*

R. Est ille, qui fit sine deliberatione voluntatis, uti sunt actus primo-primi.

Q. *Quotuplicis generis sunt actus humani?*

R. Duplicis generis: alii sunt eliciti, alii imperati. Primi sunt illi, qui a voluntate oriuntur, et in ea perficiuntur, uti sunt actus amoris, odii etc. Secundi, qui a voluntate incipiunt, et per aliam potentiam sive internam, sive externam perficiuntur, uti meditatio, epistolae scriptio etc: proinde in internis et externis subdividuntur.

De voluntario, et involuntario.

Q. *Quid est voluntarium?*

R. Est illud, quod procedit a voluntate cum rationis advertentia (2).

Q. *Quotuplex est voluntarium?*

R. Voluntarium aliud est perfectum, aliud imperfectum.

---

(1) Voluntatem deliberatam constituit advertentia, et libertas. Advertentia est actus intellectus, quo cognoscitur obiectum quale sit: et duplex est, *actualis* nempe, quando intellectus actu advertit; et *virtualis*, quando virtute prioris advertentiae perseverat. Libertas vero est *immunitas a servitute, et subiectione*. Porro heic servitus praecipue oriri solet vel a principio extrinseco, quod compellit nos ad agendum contra voluntatis inclinationem; vel a naturali illa inclinatione, quae propriis viribus superari nequit: prima dicitur *coactio*, altera *necessitas naturae*.

(2) Si non procedit a voluntate, sed a voluntate adprobatur, uti ex. gr. pluvia, dicitur *volitum*. Si vero aliquid procedit ab appetitu pure sensitivo sine ulla, vel ad summum cum imperfecta cognitione, uti amor canis erga dominum suum, dicitur *spontaneum*. Si autem procedit a principio extrinseco vim inferente, dicitur *violentum*.

Perfectum est illud, quod a voluntate procedit cum pleno consensu, et perfecta advertentia, uti sunt actus naturae rationalis agentis ex propria deliberatione. Imperfectum est illud, quod a voluntate procedit cum semipleno consensu, vel cum semiplena advertentia, uti sunt actus semi-dormientis, et semi-ebrii. Aliud est necessarium, aliud liberum. Necessarium est, quod procedit a voluntate determinata ad unum; ita ut ab eo voluntas abstinere nequit, uti amor felicitatis in genere. Liberum est, quod procedit a voluntate cum plena indifferentia. Aliud est directum, aliud indirectum. Primum est illud, in quod voluntas expresse tendit sive immediate, sive mediate. Secundum est illud, quod quis, licet expresse non velit, vult tamen in causa, quam ponit.

Q. *Quaenam requiruntur, ut voluntarium indirectum imputetur ad culpam?*

R. Primo; ut agens advertat, vel advertere possit ex tali causa talem effectum esse oriturum. Secundo; ut teneatur impedire effectum, et non impediat.

Q. *Quando quis non tenetur effectum impedire?*

R. Quando adest causa necessaria vel utilis sive sibi, sive proximo ponendi opus, et deest consensus in effectu (1).

Q. *Quid est libertas a coactione?*

R. Est immunitas ab omni vi externa.

Q. *Quid est libertas a necessitate?*

R. Est immunitas ab omni vi non solum externa, sed etiam interna. Haec autem libertas est vel *contradictionis*, vel *specificationis*, vel *contrarietatis*. Prima est facultas agendi, vel non agendi; secunda est facultas agendi hoc, vel aliud; tertia est facultas agendi hoc, vel oppositum.

---

(1) Hinc actus, qui procedunt ab ebrietate, si sunt ordinarii, imputantur ad culpam, quia praevidentur, vel praevideri possunt: si sunt extraordinarii, non imputantur, quia non sunt praevisi, nec praevideri poterant. Hinc etiam, si quis equitando patitur pollutionem, et adest causa necessaria vel utilis equitandi, ac deest consensus in pollutione, tunc non peccat equitando, licet praevideat pollutionem; quia in hoc casu non tenetur eam impedire.

In prima habetur essentia libertatis, in secunda exercitium, in tertia abusus.

Q. *Ad constituendum actum humanum sufficitne sola libertas a coactione?*

R. Minime: sed requiritur etiam libertas a necessitate, et oppositum est damnatum contra Jansenium ab Innoc. X.

Q. *Quid est involuntarium?*

R. Est illud, quod fit per vim, vel per ignorantiam invincibilem.

Q. *Quotuplex est involuntarium?*

R. Duplex: absolutum, et secundum quid. Absolutum est, quod voluntas omnino non vult. Secundum quid est illud, quod quis aliquo modo vult, aliquo modo non vult, ut in eo, qui dat crumenam latroni.

Q. *Quaenam causae tollunt, quaenam minuunt, quaenam augent voluntarium?*

R. Tollunt voluntarium vis absoluta, et ignorantia invincibilis; minuunt metus, ignorantia vincibilis, et concupiscentia antecedens (1); augent ignorantia affectata, et concupiscentia consequens.

De Concupiscentia.

Q. *Quid et quotuplex concupiscentia?*

R. Est actus appetitus sensitivi (2) prosequentis bonum delectabile, vel effugientis malum odibile: quae si exurgit in nobis, sed non a nobis (3), dicitur *antecedens*; si autem in nobis et a nobis (4), dicitur *consequens*.

---

(1) Nota; quod ex D. Thoma quando metus gravis et concupiscentia antecedens sunt ita vehementes, ut omnem absorbeant rationis usum, tunc voluntarium omnino tollunt.

(2) Appetitus sensitivus, ex D. Thoma, est animae inclinatio in bonum aliquod peculiare, quae sensuum cognitionem sequitur: cujus partes sunt Concupiscibilis, et Irascibilis.

(3) Puta quando, viso inimico, statim oritur appetitus vindictae.

(4) H. e. quando a voluntate nostra directe vel indirecte excita-

Q. *Concupiscentia mala estne peccatum?*

R. In se non est peccatum; sed a peccato est, et ad peccatum inclinat ex Trid. In suis actibus inordinatis videndum: si sunt *primo-primi*, non sunt peccaminosi; quia omnem antevertunt rationis usum: si *secundo-primi*, sunt leviter peccaminosi; habent enim semiplenam advertentiam vel consensum: si denique *plene deliberati*, sunt graviter vel leviter peccaminosi, prout est materia.

Q. *Quid dicendum de illo, qui sub motu deordinatae concupiscentiae negative se habet, idest nec consentit, nec resistit?*

R. Cessante delectatione et ejus periculo (1), ex vera sententia cum D. Tho. peccat leviter: secus graviter, modo gravis sit materia; nam hoc in casu tenemur positive resistere, orando nempe, divina cogitando, animum ad aliud vertendo, etc. Excipe si hic motus magis excitetur resistendo, si levis sit ac continuus, si ortum habeat ex actione necessaria vel utili, etc. praesertim in personis timoratae conscientiae; quia tunc melius est illum contemnere.

De vi, et metu.

Q. *Quid est vis?*

R. Est majoris rei impetus, qui repelli non potest.

Q. *Quotuplex est vis?*

R. Duplex, absoluta et respectiva: 1.ª est illa, cui totis viribus interius exteriusque resistitur: 2.ª cui non resistitur omnino; et haec circa effectus idem est ac metus.

Q. *Potestne actui humano vis inferri?*

---

tur, aut excitata fovetur: uti est commotio in eo, qui mulieris vultum, colorem, etc. dedita opera, meditatur.

(1) Hoc periculum judicabitur adesse tum ex qualitatibus poenitentis, si sit tenuis virtutis, qui alias consenserit; tum ex materia delectationis, si multum sit periculosa in se, ut communiter censetur, si superveniat delectatio venerea; quia huiusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque si positive non repellantur (saltem per actum simplicis displicentiae), trahunt secum consensum voluntatis.

R. Actibus elicitis et imperatis internis non potest: imperatis externis potest.

Q. *Vis excusat a peccato?*

R. Maxime: dummodo adsit resistentia ex parte membrorum, et ex parte voluntatis; secus enim voluntarium non tollit, sed minuit intra eamdem speciem.

Q. *Quid est metus?*

R. Est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.

Q. *Differtne a vi?*

R. Maxime: nam metus afficit potentias interiores, vis exteriores; metus minuit voluntarium, vis omnino tollit.

Q. *Quotuplex est metus?*

R. Multiplex: levis, vel gravis; absolutus, et respectivus, prout timetur malum revera leve vel grave; et hoc respectu omnium vel alicujus: ab intrinseco, si procedit a propria apprehensione; ab extrinseco, si procedit a causa libera, puta, si incutitur ab alio homine: justus, et injustus, prout incutitur ab eo qui habet, vel ab eo qui non habet jus incutiendi. Tandem potest esse reverentialis, quando nempe timetur offensa majorum, qui levis reputatur, quando non est conjunctus cum minis et precibus importunis.

Q. *Ut metus dicatur revera gravis, quid requiritur?*

R. Ut malum, quod timetur, sit grave; ut probabiliter immineat; et ut non adsit modus effugiendi illud.

Q. *Metus gravis excusat a peccato?*

R. Si actio vel omissio est intrinsece mala, non excusat: secus excusat (1); haec enim non obligant cum gravi incommodo.

Q. *Metus gravis excusat ab adimpletione legis naturalis?*

R. Si loquimur de praeceptis naturalibus negativis, non

(1) Actio dicitur intrinsece mala vel per se, vel per accidens. 1.ª quando de sua natura rectae rationi repugnat. 2.ª qnando repugnat ex aliqua circumstantia, puta si sit contra bonum commune; vel contra bonum fidei, aut religionis; vel in contemptum legis, aut legislatoris.

excusat: si loquimur de praeceptis naturalibus positivis, excusat, quum actio differri possit (1).

Q. *Metus gravis excusat a praeceptis legis positivae divinae, vel humanae?*

R. Regulariter loquendo excusat: dixi regulariter loquendo, quia si ex aliqua circumstantia actio vel omissio esset intrinsece mala, tunc non excusat. Hinc non licet ex metu frangere sigillum sacramentale, conficere sacramenta sine debita materia vel forma; agere vel omittere aliquid in contemptum legis vel religionis.

Q. *Estne validum votum emissum per metum gravem?*

R. Minime: si metus est injuste incussus, a causa libera, et ad extorquendum consensum in voto.

Q. *Juramentum promissorium extortum per metum gravem estne obligatorium?*

R. Maxime, dummodo sit de re licita, et adimpleri possit sine damno tertii (2).

Q. *Metus gravis excusat a censuris?*

R. Si excusat a peccato, excusat a censuris; quia non datur poena sine culpa. Si non excusat a peccato, subdist: non excusat a censuris acceptantes duellum per metum ex prop. damn. a Ben. XIV; communicantes cum excomm. vitando in contemptum Ecclesiae ex cap. *Sacris;* et committentes crimen valde enorme praecipue contra bonum commune Ecclesiae ex communiss. DD. sententia: in aliis casibus quaestio est; sed probabilius excusat; quia censura non incurritur, nisi per culpabilem violationem legis ecclesiasticae, quae nisi fit intrinsece mala per accidens, non obligat cum gravi incommodo (3).

---

(1) Ratio: quia praecepta naturalia negativa obligant semper, et quoad semper, idest singulis momentis: praecepta affirmativa obligant semper, sed non quoad semper.

(2) Ratio discriminis est, quod votum est benignae interpretationis, quia in voto Deus venit uti promissarius; et juramentum est strictae interpretationis, quia in eo Deus venit uti testis.

(3) Idem dic de aliis poenis, ac proinde de irregularitatibus ex delicto provenientibus; non vero de irregularitatibus ex defectu, a qui-

Q. *Metus gravis excusat a reservatione?*

R: Si excusat a peccato, excusat a reservatione; secus non: excipe, quando reservatio afficit principaliter censuram, et metus excusat ab ista, quia tunc excusat etiam a reservatione (1),

Q. *Metum vel vim injuste incutiens ad quid tenetur?*

R. Tenetur ante judicis sententiam resarcire et injuriam, et omnia damna; cum sit ipse eorum causa.

De ignorantia.

Q. *Quid est ignorantia?*

R. Est carentia scientiae in subiecto capaci.

Q. *Quotuplex est ignorantia?*

R. *Vincibilis*, et *invincibilis*. Prima est illa quae, adhibita diligentia, superari potest ac debet; secunda, quae, adhibita diligentia, superari non potest aut non debet (2).

Insuper *antecedens*, *concomitans*, *et consequens*. *Antecedens* est ignorantia invincibilis, quae voluntatis determinationem antecedit, ita ut, ea ablata, actio non fieret: *concomitans* est ignorantia invincibilis, cum qua fit actio, quae adhuc fieret, si talis ignorantia abesset: *consequens* est ignorantia vincibilis, quae voluntatem sequitur, quatenus agens debitam diligentiam omittit; ideoque ea sublata, actio aliquando fieret, aliquando non (3).

---

bus metus gravis non excusat; quippe quae sunt merae inhabilitates, et contrahuntur etiam sine culpa.

(1) Ratio est, quia reservatio afficit vel *peccatum tantum*, ut in casibus reservatis sine censura; vel *peccatum primario*, ut in casibus ab Ordinario reservatis cum censura; vel *principaliter censuram*, ut in censuris a S. Sede sive sibi, sive Ordinario reservatis. In prima et secunda hypothesi cessat reservatio deficiente peccato, quod est fundamentum ejus: in tertia, corruente censura, peccatum non amplius remanet reservatum.

(2) Nota quod si absque culpa nulla occurrit ratio dubitandi, ignorantia erit invincibilis, etsi nulla adhibeatur diligentia; ac proinde error et ignorantia promiscue accipiuntur.

(3) Titius occidit hominem in nemore, credens certo esse belluam.

Porro ignorantia vincibilis est vel indirecte voluntaria, scilicet *crassa* seu *supina*, et est quando quis negligit scire, quae scire tenetur: vel directe voluntaria seu *affectata*, et est quando quis ex industria ad facilius peccandum non vult scire, quae scire tenetur. Tandem alia est ignorantia *juris*, alia *facti*, alia *poenae* prout ignoratur lex, aut aliquod factum esse legi contrarium, aut poena a lege imposita (1).

Q. *Ignorantia vincibilis estne speciale peccatum?*

R. Vel loquimur de iis, quorum cognitio per se praecipitur, et est speciale peccatum contra illam virtutem, ex qua oritur praeceptum; sicut ignorantia mysteriorum fidei est speciale peccatum contra fidem. Vel loquimur de iis, quorum cognitio praecipitur in ordine ad aliquid agendum, et non est speciale peccatum, sed peccatum oppositum illi virtuti, contra quam ex tali ignorantia agitur; sicut ignorantia in judice peccatum est contra justitiam, quando ipse ex tali ignorantia judicat.

Q. *Daturne ignorantia juris naturae?*

Sempronius quaerit occasionem occidendi suum inimicum, quem omnino decrevit occidere: existens in nemore occidit revera, sed prorsus ignorabat esse inimicum, credebat certo esse belluam nemoris. Cajus in eodem nemore occidit hominem, putans ex errore vincibili esse belluam. Primus agit ex ignorantia antecedenti, et dicitur agere *involuntarie*. Secundus agit cum ignorantia concomitanti, et dicitur agere *non voluntarie*. Tertius agit cum ignorantia consequenti, et dicitur agere *voluntarie*. Adverte, quod ignorantia antecedens est causa actus, concomitans est causa actus materialis tantum, ignorantia consequens quandoque est causa actus, quandoque non, prout est dispositio animi illius, qui operatur. Hinc ignorantia antecedens excusat a peccato: ignorantia concomitans excusat a peccato effectivo, non a peccato affectivo: ignorantia consequens non excusat a peccato.

(1) Si quis e. g. rem habet cum consanguinea suae uxoris intra secundum gradum ignorans vel adesse legem ecclesiasticam id prohibentem: vel mulierem illam esse sibi affinem: vel huic crimini adnexam esse privationem petendi debitum conjugale de jure comm. et excommunicationem Ord. reser. in D. N.

R. Vel loquimur de primis principiis, et non datur, quia per se nota sunt: vel loquimur de conclusionibus immediate deductis ex primis principiis, uti praecepta Decalogi, et nec etiam datur, quia facile deducuntur: vel loquimur de conclusionibns mediate deductis ex primis principiis, et dari potest; opus est enim ratiocinatione, cujus non omnes sunt capaces (1).

Q. *Daturne ignorantia invincibilis juris humani?*

R. Maxime, cum nemo sit, qui omnes leges sciat.

Q. *Daturne ignorantia invincibilis in proprio officio?*

R. Circa casus implicatiores et extraordinarios datur; circa obvios et ordinarios non datur, hos enim quisque scire tenetur.

Q. *Ignorantia excusat a restitutione?*

R. Antecedens excusat, quia non adest culpa: concomitans etiam excusat, quia non adest actio externa contra justitiam commutativam: consequens vero non excusat, quia in ea habetur culpa theologica.

Q. *Ignorantia prodest ad praescribendum?*

R. Vel loquimur de vincibili, et non prodest, quia aequiparatur malae fidei: vel de invincibili, et subdistinguo: vel est juris, et non prodest; vel est facti, et prodest, quia aequiparatur bonae fidei.

Q. *Ignorantia poenae excusat a poena?*

R. Minime, semper ac non deest culpa, quam legislator punire intendit: excipe censuram, et poenam extraordinariam.

---

(1) Sic dari potest ignorantia circa mendacium ad sublevandum proximum, vel circa aliquos contractus, utrum sint liciti, vel non. Adverte, quod in hypothesi, quod detur ignorantia invincibilis in aliquibus circa conclusiones immediate deductas ex primis principiis, haec ignorantia excusaret a peccato, et oppositum est damnatum ab Alex. VIII.

Insuper idem dic de praeceptis moralibus juris positivi divini, quod dictum est de jure naturae: de praeceptis vero caeremonialibus et credibilibus ignorantia invincibilis datur, ubi Evangelium non est sufficienter annuntiatum, uti ex prop. dam. ab Urban. VIII. contra Bajum.

Q. *Collatio simoniaca beneficii facta simoniam ignoranti estne valida?*

R. Minime: quia irrita de jure ex culpa illorum, qui simoniam commiserunt.

Q. *Adsunt casus, in quibus sit valida?*

R. Maxime: 1. quando quis ignoranter recepit beneficium per simoniam a tertia persona commissam, et triennali possessione bona fide praescripsit; 2. si promovendus contradicat, et bona fide recipiat, dummodo ante collationem pactum simoniacum ratum non habeat (1); 3. si commissa sit simonia in odium promoti.

Q. *Exceptis his tribus casibus, qui accepit beneficium per simoniam tertii, quid agere debet?*

R. Debet illud renunciare una cum fructibus.

Q. *Potest ad illud habilitari ab Episcopo?*

R. Maxime: dummodo non sit curatum.

Q. *Ignorantia excusat a censuris?*

R. Vel est invincibilis sive juris, sive facti, et excusat, quia non habetur contumacia; vel est vincibilis, et subdistinguo: vel in censura habentur illae particulae *scienter, dolose, audacter, praesumptuose,* aut aliud aequivalens, et, praeter affectatam, ignorantia excusat; tunc enim plena scientia requiritur in delinquente: vel non habentur, et non excusat; quia sufficientem continet contumaciam (2).

Q. *Ignorantia excusat a reservatione?*

R. Vel reservatio facta est a Sum. Pontifice cum censura, et tunc, si ignorantia excuset a censura, excusat etiam a reservatione; quia Pontifex reservat ratione censurae. Vel reservatio facta est a Pontifice sine censura, aut ab Ordinario, et tunc, si ignorantia excuset a pecca-

---

(1) Dicitur *ante collationem*, quia si ipse e. g. pecuniam ab alio solutam vel promissam reddit post collationem, etsi ante possessum, valet collatio; quoniam adest bona fides in receptione beneficii, et possessus est accessorius. Layman cum aliis.

(2) Idem dic de ignorantia legis an excusat a poena; nam vel est invincibilis, et excusat, quia deest culpa: vel est vincibilis etc.

to, excusat etiam a reservatione; secus non, quia reservatur principaliter ratione peccati.

Q. *Ignorantia irregularitatis excusatne ab illa?*

R. Vel irregularitas est ex defectu, et ignorantia non excusat, utpote simplex inhabilitas. Vel est ex delicto, et ignorantia excusat ab irregularitate, semper ac excusat a peccato: quando vero a peccato non excusat, quaestio est.

Q. *Ignorantia alicujus legis irritantis reddit validum actum?*

R. Minime, quando lex actum irritat ob bonum commune. Quando vero lex irritat actum in poenam peccati, tunc ignorantia si excusat a culpa, excusat ab irritatione; alias non (1).

De moralitate actuum humanorum.

Q. *Quid est actus moralis?*

R. Est actus humanus in ordine ad regulas morum (2).

Q. *Quaenam sunt regulae morum?*

R. Sunt duae: proxima, id est conscientia; et remota, id est lex.

Q. *Quotuplex est actus moralis?*

R. Est vel bonus, vel malus: bonus, quando est secundum regulas morum; malus, quando est contra.

Q. *Danturne actus indifferentes?*

R. In obiecto dantur, in subiecto non dantur: tenemur enim omnia dirigere ad Deum, et ideo si actiones, quae

---

(1) Hinc nullum est matrimonium, etiamsi invincibiliter ignoratur impedimentum dirimens, cum quo contrahitur; quia haec irritatio fundatur in *praesumptione juris*, seu periculi ob bonum commune. Beneficiarius facit suos beneficii fructus, si absque culpa omittat officii recitationem: si vero omittat culpabiliter, fructus non facit suos; quia haec lex fundatur in *praesumptione facti* ob vindictam culpae.

(2) Actus humanus regulariter loquendo non differt ab actu morali. Dico regulariter loquendo, nam in pueris differt, quia nondum sunt capaces regulae morum.

per se essent indifferentes, dirigimus ad Deum, erunt bonae; si non dirigimus, erunt malae.

Q. *Unde actus humani desumunt suam bonitatem vel malitiam?*

R. Primariam bonitatem, vel malitiam sumunt ex objecto: secundariam a fine extrinseco, seu a fine, quem sibi agens proponit: tandum ex aliis circumstantiis (1).

Q. *Adsunt casus, in quibus actus humani primariam bonitatem, vel malitiam desumunt a fine, et circumstantiis?*

R. Maxime: et sunt 1. quando fit aliquod opus obiective indifferens; 2. quando fit aliquod opus bonum ob finem malum.

Q. *Bonitas finis extrinseci tollit malitiam actus pravi?*

R. Minime: sed tantum minuit; quia opus bonum debet esse integrum, scilicet bonum ex objecto, fine, et circumstantiis, juxta illud: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Q. *Circumstantia leviter mala tollitne totam bonitatem actionis?*

R. Si est causa actionis, tollit; quia totam vitiat actionem: secus non, sed tantum minuit.

DE CONSCIENTIA

Q. *Quid est conscientia?*

R. Est dictamen rationis de justitia vel injustitia nostrarum actionum.

Q. *In quo differt conscientia a synderesi?*

---

(1) Objectum est *illud circa quod actio versatur*, uti res aliena in furto. Finis est *illud cujus gratia aliquid fit;* et praecipue duplex, *operis* nempe, et *operantis*. Finis operis, seu *intrinsecus* est ille ad quem opus ex sua natura dirigitur: finis operantis, seu *extrinsecus*, est ille quem agens ex proprio arbitrio sibi proponit; e. g. finis intrinsecus orationis est laudare Deum, extrinsecus impetrare sanitatem, etc.

De circumstantiis vide in tract. de peccatis. An vere actus externus aliam malitiam addit interno, vid. de materia sacram. Poenit.

R. In hoc: synderesis est notitia primorum principiorum moralium; conscientia est judicium applicans morale principium alicui actioni particulari: hinc synderesis est habitus, conscientia est actus.

Q. *Quotuplici modo dictat conscientia?*

R. Vel sub praecepto (h. e. peccato), vel sub consilio (h. e. ad majus meritum): dictans fugiendum malum, dictat semper sub praecepto; dictans bonum faciendum, aliquando dictat sub praecepto, aliquando sub consilio.

Q. *Quotuplex est conscientia?*

R. Alia est *recta*, alia *erronea*, alia *probabilis*, alia *dubia*, alia *scrupulosa*.

De conscientia recta, et erronea.

Q. *Quid est conscientia recta?*

R. Est illa, qua ex veris principiis veras conclusiones deducimus (1).

Q. *Qui agit contra conscientiam rectam peccatne?*

R. Si dictat sub praecepto, semper peccat, quia agit contra regulam proximam suarum actionum; et peccat graviter vel leviter, prout conscientia dictat. Si vero dictat in genere, et confuse (scilicet non distinguendo an sit peccatum leve vel grave) et tunc probabilius graviter peccat; quia praesumitur velle illud peccatum,etiamsi sit grave (2).

Q. *Qui agit contra conscientiam rectam, committitne speciale peccatum distinctum ab eo, quod committitur contra legem?*

---

(1) Haec conscientia recta potest esse speculative et practice recta, et practice tantum recta: prima est, quando quod dictat, revera est tale ex parte rationum, et ex parte rei; secunda, quando quod dictat, tale est ex parte rationum, et non ex parte rei: sic practice tantum recta fuit conscientia Jacobi accedentis ad Liam, dum putabat esse Rachelem.

(2) Contra tenendum de personis in pietate firmis; istas enim nolle praesumitur quod est graviter malum.

R. Minime: nam conscientia et lex praecipiunt sub eodem motivo formali.

Q. *Quaenam est conscientia erronea?*

R. Est illa, quae ex veris vel ex falsis principiis falsas deducit conclusiones, et potest esse vincibilis, vel invincibilis (1).

Q. *Qui agit contra conscientiam erroneam peccatne?*

R. Maxime: sive sit vincibilis, sive sit invincibilis. Si est vincibilis, peccat eligendo quod judicat esse malum; si est invincibilis etiam peccat,quia agit contra suarum actionum putatam regulam proximam (2), et committit peccatum illius speciei et gravitatis,quam intellectus judicat (3).

Q. *Peccatne, qui agit juxta conscientiam erroneam?*

R. Si est invincibiliter erronea, non peccat; si est vincibiliter erronea, peccat, quia, quum possit et debeat deponere suum errorem, illum non deponendo temere agit: excipe, si agat juxta conscientiam erroneam dictantem uti praeceptum aliquod bonum, quod revera praeceptum non est (4).

Q. *Quid de eo, qui judicat utramque partem contradictionis esse peccatum?*

R. Hic dicitur esse in conscientia *perplexa*. Si error est

---

(1) Dicitur invincibilis, quae moraliter vinci nequit , quum nulla cogitatio vel dubium erroris veniat in mentem operantis, nec etiam in confuso, dum operatur, vel dum actionis causam ponit. Viceversa dicitur vincibilis.

(2) Nota tamen, quod, ut agens contra conscientiam erroneam revera peccet, requiritur: ut conscientia sit revera erronea, non scrupulus ; ut ipsa actum antecedat, non subsequatur; ut dictet sub praecepto, non sub consilio ; et ut actio vel omissio, quae fit contrá conscientiam, sit libera.

(3) Hinc qui copulam habet cum soluta, putans esse uxoratam , adulterium committit ; intentio enim specificat actum. At qui ex conscientia erronea credit incurrere poenas, quando revera non adsunt, non incurrit in eas ; quia poenae feruntur contra violatores legis verae, non putativae.

(4) Sic qui ex errore vincibili credit obligari ad audiendam Missam, et nulla adhibita diligentia Missam audit, non peccat.

vincibilis peccat agendo, quia non adhibet diligentiam; si est invincibilis non peccat, quia deest libertas (1).

Q. *Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitente, qui laborat conscientia erronea?*

R. Si error est vincibilis, debet illum instruere; si est invincibilis, subdistinguo: vel error est circa ea, quae reddunt poenitentem incapacem absolutionis (2), aut vergunt in damnum commune, et debet illum instruere; secus iterum videndum: vel correctio est profutura, et debet illum monere; vel non est profutura, et melius est tacere.

De conscientia probabili.

Q. *Quid est conscientia probabilis?*

R. Est dictamen rationis, quo quis gravi fundamento nitens, sed non omnino certo, adhaeret uni parti cum formidine de opposito (3).

Q. *Quotuplex est conscientia probabilis?*

R. Multiplex: levis probabilitatis, et est quando nititur levi fundamento; gravis, seu verae probabilitatis, et est quando nititur gravi fundamento. Haec subdividitur in probabilem, probabiliorem, et probabilissimam: prima includit majorem formidinem de opposito, secunda mi-

---

(1) Hinc si mulier credit ex errore invincibili esse peccatum relinquere infirmum, cui assistit, et esse peccatum relinquere sacrum ut assistat infirmo, quomodocunque agat, non peccat, si tollere non potest hunc suum errorem.

(2) Hinc si poenitens invincibiliter ignorat dispositiones necessarias ad obtinendam absolutionem, vel ignorat mysteria, quae scire debet necessitate medii, debet illum instruere confessarius.

(3) Dicitur cum formidine, quatenus fundamentum est ita verum, ut possit esse etiam falsum.

Nota quod si judicatur de actione in genere, non veniendo ad praxim, e. g. an licitum sit piscari die festo, dicitur *opinio:* si vero judicatur de honestate actionis hic et nunc faciendae e. g. an, cum nunc sit dies festus, licitum sit piscari, dicitur *conscientia*.

norem, tertia minimam. Tandem potest esse probabilis ab intrinseco, quando nititur rationibus; et probabilis ab extrinseco, quando nititur auctoritate Doctorum.

Q. *Quaenam est opinio tuta?*

R. Est illa, quae favet legi: haec excludit omne periculum peccandi tam formale, quam materiale.

Q. *Potest dari opinio magis probabilis, et minus tuta?*

R. Maxime: et est, quando opinio nititur gravioribus rationibus, et tamen non favet legi.

Q. *Debemusne semper sequi opinionem tutam?*

R. Minime: et oppositum est damnatum ab Alex. VIII.

Q. *Possumusne sequi opinionem probabilem?* (1)

R. Vel est levis probabilitatis, et non possumus, nam oppositum est damnatum ab Innoc. XI; vel est verae probabilitatis, et subdistinguo: non licet uti opinione probabili 1. in materia fidei; 2. in materia sacramentorum: 3. in materia justitiae in causis civilibus, uti constat ex propositionibus damnatis ab Innoc. XI; 4. quando adest periculum violandi jus certum proximi (2); et 5. in materia medicaminum, quia in his debemus semper sequi opinionem tutiorem. In aliis materiis vero, quando opinio est verae et gravis probabilitatis, non est prohibitum eam sequi (3).

---

(1) Adverte, quod unius auctoritas non reddit aliquam opinionem probabilem; nisi opinio validis rationibus probatur et opposita omnino repellatur: excipe si auctor sit magni nominis in Ecclesia, ac omni exceptione majoris, uti D. Thomas, Bonaventura; Ligorius, etc. Attamen quisque potest acquiescere auctoritati sui Confessarii, Episcopi, vel Superioris; modo non constet esse improbabile quod dicitur.

(2) Hinc non potes occidere belluam, si probabiliter putas esse hominem, licet probabilius putes esse belluam.

(3) In concursu vero opinionum si opinio probabilior stat pro libertate et probabilis pro lege, tunc per omnes tam Probabilistas, quam Probabilioristas licet sequi opinionem probabiliorem pro libertate; quia prudenter agitur. Si probabilior stat pro lege et probabilis pro libertate, vel aeque probabilis pro lege ac libertate, tunc Probabilioristae dicunt nos teneri sub peccato sequi opinionem probabi-

Q. *In materia sacramentorum estne aliquando licitum sequi opinionem probabilem?*

R. Maxime: in casu estremae necessitatis; sed administrandum Sacramentum sub conditione, ne illud nullitati exponatur.

Q. *Circa jurisdictionem ministri in sacramentis estne licitum sequi opinionem probabilem?*

R. Vel jurisdictio respicit ordinem exteriorem, ut in Baptismo, Confirmatione, etc. licet. Vel respicit validitatem, ut in Poenitentia, quaestio: alii dicunt non posse, quia in sacramentis non est licitum; alii dicunt posse, quia propositio damnata loquitur de materia et de forma sacramentorum, non vero de jurisdictione, quae licet de jure divino requiratur ad valide absolvendum, tamen dare vel restringere jurisdictionem pertinet ad Ecclesiam, quae supplet in hoc casu: praesertim si adsit causa necessitatis vel magnae utilitatis.

Q. *Estne licitum absolvere poenitentem juxta opinionem probabilem ipsius poenitentis?*

---

liorem vel aeque probabilem pro lege, relicta probabili pro libertate; quia removendum est omne periculum peccandi, et *in dubiis tutior pars est eligenda*. Probabilistae autem sic distinguunt: si possessio stat pro lege, debemus sequi opinionem pro lege; si possessio stat pro libertate, possumus sequi opinionem pro libertate; quia lex dubia non obligat, et *in dubio meliòr est conditio possidentis*. Excipe tamen semper supradictos quinque casus.

Nota quod possessio stat pro illa parte, pro qua stat praesumptio, idest pro ea parte, quae onus probandi transfert in alteram: *factum enim non praesumitur nisi probetur*. L. 2. cap. *de probation.*

Ceterum quoad praxim praestat, quod confessarius in judicando de gravitate peccati jam commissi, quantum christiana prudentia suggerit, benignis utatur opinionibus: in removendo, vero, actum vel periculum peccati a poenitente tutiores amplectatur sententias juxta illud D. Aug: *Ante peccatum pertimesce justitiam, post peccatum spera misericordiam*. E. G. quaestio est an maledictio mortuorum sit leve vel grave peccatum: confessarius ex benigna sententia judicet esse leve, minime tamen permittat poenitenti hanc maledictionem proferre, eumque summopere retrahat a periculo et proxima occasione proferendi.

R. Maxime: confessarius est enim judex dispositionum non vero opinionum poenitentis.

Q. *Estne aliquando licitum in materia medicaminum sequi opinionem probabilem?*

R. Maxime: quando nulla adest spes salutis infirmi, nec habetur aliud remedium.

Q. *Adsunt casus, in quibus in materia justitiae possumus sequi opinionem probabilem?*

R. In justitia criminali potest judex sequi opinionem probabilem, quia debet favere reo, quantum potest: pro justitia commutativa in causis civilibus nequaquam.

Q. *Quid ergo agere debet judex in hisce dubiis?*

R. Si dubium nequaquam potest tolli, debet componere partes, vel definire litem pro rata dubii.

Q. *Advocatus potest suscipere patrocinium causae probabilis?*

R. Maxime: debet tamen monere clientem de statu causae; secus tenetur ad damna, si dubio cognito cliens non esset litigaturus.

De conscientia dubia.

Q. *Quid est conscientia dubia?*

R. Est dictamen rationis, quo quis neutri parti adhaeret, sed anceps manet inter utramque.

Q. *Quotuplex est conscentia dubia?*

R. Multiplex: positive dubia, et est quando adsunt rationes aequales pro utraque parte; negative dubia, et est quando non adsunt rationes pro utraque parte, vel si adsunt, sunt leves (1). Insuper potest esse speculativé dubia, quando dubitatur in genere praescindendo ab executione, uti an liceat die festo pingere; practice dubia, et est quando dubitatur in praxi, uti an mihi hoc die festo

(1) Hinc conscientia positive dubia aequivalet conscientiae aeque probabili. Conscientia negative dubia, quatenus habet leve fundamentum pro una parte, aequivalet conscientiae levis probabilitatis.

liceat pingere ad victum quaerendum. Potest esse etiam dubia juris, et dubia facti, prout dubitatur de lege, aut de facto.

Q. *Estne licitum agere cum conscientia dubia?*

R. Minime: quia sic agens exponeret se periculo peccandi (1): et ideo committeret peccatum illius speciei et gravitatis, de qua dubitat.

Q. *Dubitans de lege, tenetur ad legem?*

R. Vel dubium est de existentia legis, vel de promulgatione legis, vel de inceptione legis (puta, an jam advenerit tempus obligationis legis); et, adhibita diligentia et non ablato dubio, non tenetur, quia possessio stat pro libertate (2). Vel dubium est de acceptatione legis, vel de adimpletione, vel de cessatione legis; et, non ablato dubio, tenetur ad legem, quia possessio stat pro lege.

Q. *Dubius de voto tenetur ad votum?*

R. Distinguo: vel dubium est de emissione voti, et, adhibita diligentia et dubio non ablato, non tenetur, quia possessio stat pro libertate (3); vel dubium est de adimpletione voti, et, adhibita diligentia et non ablato dubio, tenetur, quia possessio stat pro voto.

Q. *Dubitans, an habuerit intentionem se obligandi in voto tenetur ad votum?*

R. Maxime: quia *actus praesumitur factus, ut fieri solet.*

Q. *Dubitans de qualitate vel de quantitate voti ad quid tenetur?*

---

(1) Intellige de conscientia negative dubia, sicut etiam de conscientia practice dubia; qui enim est practice dubius circa aliquam actionem, debet prius consulere Doctores, vel dubium deponere per aliquod principium certum, vel reflexum de honestate actionis, et sic postea agere. Principia reflexa sunt: I. *Lex dubia non potest inducere obligationem certam. 2. In dubio melior est conditio possidentis. 3. In dubio omne factum praesumitur recte factum;* sive: *In dubio standum est pro valore actus. 4. In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus: etc.* Vide Ligor. lib. I, cap. 2, num. 24 et seq.

(2) In hisce casibus probabilioristae dicunt teneri ad legem.

(3) Probabilioristae dicunt teneri.

R. Adhibita diligentia, et dubio non ablato, tenetur ad minorem quantitatem; quia in odiosis stricte facienda est interpretatio (1).

Q. *Dubitans de possessione rei tenetur ad restitutionem?*

R. Vel dubium est antecedens, et adhibita diligentia et non ablato dubio, tenetur ad restitutionem pro rata dubii, quia dubium antecedens aequiparatur malae fidei; vel dubium est subsequens, et, adhibita diligentia et non ablato dubio, non tenetur, quia melior est conditio possidentis (2).

Q. *Possessor dubiae fidei subsequentis potestne vendere rem possessam?*

R. Maxime; tenetur tamen monere emptorem de tali dubio.

Q. *Qui emit rem cum dubio antecedenti, peccatne?*

R. Si emit animo restituendi domino comparenti, non peccat. Dominus tamen non tenetur denuo solvere pretium rei.

Q. *Dubitans de validitate matrimonii potest petere, et reddere?*

R. Vel dubium est antecedens, et adhibita diligentia et non ablato dubio, non potest petere (3), debet tamen reddere post bimestre, aut matrimonio consummato, parti bona fide petenti, ut cautum est in jure: vel dubium est

---

(1) Probabilioristae dicunt esse dividendam materiam voti pro rata dubii. E. G. Dubitans an voverit 10 vel 20 aureos tenetur ad 15. Nota quod hucusque dictum de lege et voto intelligendum est etiam de poenitentia sacramentali, et do quacunque alia obligatione.

(2) Hic adverte, quod possessor dubiae fidei subsequentis statim ac venit in dubiam fidem, si non adhibet diligentiam, peccat, et comparente domino, tenetur ad rem et ad fructus perceptos a tempore, quo coepit dubitare.

(3) Ut possit petere indiget dispensatione Pontificis; si vero post obtentam dispensationem invenit matrimonium fuisse nulliter celebratum, non tenetur petere novam dispensationem. Hinc etiam dubitans de aliquo impedimento dirimente non potest sine dispensatione contrahere matrimonium, agitur enim de valore sacramenti.

subsequens, et, adhibita diligentia et non ablato dubio, potest petere et reddere (1), quia melior est conditio possidentis.

Q. *Si ambo contraxerunt cum dubia fide, possunt petere ac reddere?*

R. Adhibita diligentia et dubio non ablato, non possunt; quia nemo habet jus.

Q. *Dubius de censura debet se gerere uti censuratus?*

R. Iste debet adhibere diligentiam, et tempore diligentiae debet se gerere uti censuratus, ne exponatur periculo violandi censuram, et cautum est in jure (2). Diligentia adhibita et dubio non ablato, tunc aut dubium est de jure (puta, an censura fuerit latae, vel ferendae sententiae), aut dubium est de facto (puta an percussio clerici fuerit mortaliter peccaminosa) in foro conscientiae non debet se gerere uti censuratus. Vide Ligor. VII. n. 67. Si vero certus de censura dubitat an fuerit absolutus ab ea, vel an tempore debito interposuerit appellationem, vel an fuerit censura emanata ad terrorem aut animo ligandi, tunc debet se gerere uti censuratus, quia possessio stat pro censura.

Q. *Dubius de irregularitate tenetur se gerere ut irregularis?*

R. Debet adhibere diligentiam, et tempore diligentiae debet se gerere ut irregularis, ne se exponat periculo violandi irregularitatem. Adhibita diligentia, et non ablato dubio; si dubium est juris, non debet se gerere ut irregularis, quia irregularitas debet esse expressa in jure; si dubium est facti, nec etiam debet se gerere ut irregularis: excipe casum homicidii dubii, pro quo in jure habetur irregularitas (3).

---

(1) Si, adhibita diligentia, invenit certo fuisse matrimonium nulliter celebratum, tunc non potest petere neque reddere, licet altera pars sit in bona fide, quia fornicatio est intrinsece mala.

(2) Ex cap. *Illud Dominus* de clerico excomm. ministrante.

(3) Hoc tamen intelligitur, cum quis certus de homicidio secuto

De conscientia scrupulosa.

Q. *Quid est conscientia scrupulosa?*

R. Est ea, quae ex inanibus rationibus suspicatur esse peccatum, ubi revera non adest.

Q. *Licetne agere contra conscientiam scrupulosam?*

R. Maxime: immo tenemur; proinde oportet, ut scrupulosi scrupulos despiciant, Deum orent, otium vitent, et praesertim obedientiam praestent confessario, qui semper eis debet resistere (1).

DE LEGIBUS

De legis natura, et divisione.

Q. *Quid est lex?*

R. Est *rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata;* ita d. Thomas (2).

Q. *Quotuplex est lex?*

---

solum dubitat, an fuerit causa illius: secus autem, si dubitat de mutilatione, aut de homicidio an fuerit secutum vel non. Imo observa id tantum valere pro clericis; et juxta plures pro solis sacerdotibus, et solum quoad Missae celebrationem; quia de hoc tantum loquitur ius. Scavini.

(1) Nota quod ex D. Lig. etsi consultius est confiteri omnia mortalia dubia ad conscientiae tranquillitatem, tamen ab hac obligatione omnino eximi debent scrupulosi, et ii qui sunt timoratae conscientiae, qui non solent deliberate lethaliter peccare; ipsi enim, maxime post generalem confessionem rite factam, non tenentur confiteri, nisi quae certo possunt jurare fuisse mortalia, et se nunquam fuisse confessos. VI. 476.

(2) Hinc sequitur, quod conditiones necessariae ad legem requisitae sunt, ut lex sit possibilis, justa, directa ad bonum commune, et promulgata. Patet etiam discrimen inter legem, et praeceptum; lex afficit communitatem et locum, praeceptum afficit personam ubicumque sit commorans: lex est perpetua, praeceptum cessat morte praecipientis vel subditi.

R. Æterna, naturalis, et positiva. Lex aeterna est ipsa Dei voluntas ordinem servari jubens, perturbari vetans: ita D. Augustinus. Lex naturalis est participatio legis aeternae quae innotescit creaturae rationali per lumen rationis (1). Lex positiva est illa, quae accidentaliter provenit a superiore (2). Lex positiva est divina, vel humana: divina est veteris et novi Testamenti; humana est Canonica, Civilis et Gentium (3).

Q. *Requiritur acceptatio populi, ut lex obliget?*

R. Pro legibus ecclesiasticis non requiritur; pro civilibus, si absque justa causa eas populus non acceptat, peccat, et oppositum est damn. ab Alex. VII: si habet justam causam, potest ad Principem reclamare.

De iis, qui possunt condere leges humanas et de iis, qui debent eas servare.

Q. *Datur in hominibus potestas condendi leges?*

R. Maxime: et est de fide. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom. XIII. 1.

Q. *Quinam possunt condere leges ecclesiasticas, vel civiles?*

---

(1) Quare obligat omnes homines statim ac ad usum rationis perveniunt.

(2) Lex positiva ideo dicitur *quae accidentaliter provenit a superiore*, quia libere a legislatore posita est aliquo signo externo, puta voce vel scripto; et ea, quae prohibet non sunt ex se, idest *essentialiter* mala, sed mala *accidentaliter* quatenus a superiore prohibita.

(3) Lex humana, quando obligat tantum sub culpa, dicitur moralis; quando tantum sub poena, dicitur poenalis; quando sub culpa et sub poena, dicitur mixte poenalis.

An vero lex tributorum seu gabellarum sit pure vel mixte poenalis, ita ut eam defraudantes sub culpa teneantur ad restitutionem, quaestio est. At pro praxi dicendum putamus cum Ligorio, aliisque, monendos esse populos ad tributa solvenda (si justa sint), ne damnum reipublicae afferatur; sed post factum non esse ad restitutionem cogendos, cum non certo constet tributa esse solvenda ex justitia commutativa.

R. Concilia generalia, et Pontifex pro tota Ecclesia: Episcopi, et omnes qui habent jurisdictionem ordinariam in foro externo pro suis subditis (1). Leges civiles vero Summi Imperantes.

Q. *Quinam tenentur servare leges humanas?*

R. Omnes legislatoris subditi (2), requisitam aetatem habentes.

Q. *Quaenam aetas requiritur?*

R. Ordinarie loquendo aetas usus rationis, qui apparere solet circa septennium (3): pro aliquibus vero legibus provectior aetas requiritur, uti est lex annuae communionis quae requirit aetatem discretionis, et lex jejunii quae requirit aetatem vigesimi primi anni completi, uti fusius in Appendice.

Q. *Superior tenetur servare leges suas?*

---

(1) Declarationes, et decreta s. Congregationis Cardinalium, quando sunt a Pontifice approbata, et de ejus mandato publicata, tunc habent vim legis: secus habent tantum auctoritatem doctrinalem.

(2) Unde ad leges Ecclesiae tenentur baptizati, licet haeretici, apostatae vel schismatici: non vero judaei, pagani, aliique infideles, et ipsi catechumeni.

Ad leges episcopales non tenentur Religiosi exempti, nisi quando Episcopus 1.° fert leges uti delegatus Apostolicus: 2.° fert censuras et interdicta in populum: 3.° indicit preces, jejunia, publicas supplicationes, et alia ob utilitatem populi; dummodo haec non repugnent statui eorum: 4.° fert statuta, quae respiciunt administrationem Sacramentorum, sacrificium Missae, et sacrum cultum.

Ad leges civiles tenentur etiam Clerici, quando istae statui ecclesiastico non repugnant; secus autem *obedire oportet Deo magis, quam hominibus*: Act. V. 29.

(3) Unde ad leges positivas non tenetur, qui post septennium certo non habet rationis usum: sed probabilius tenetur, qui ante septennium certo habet. In dubio autem, post septennium usum rationis adesse praesumitur, ante septennium contra. Amentes et delirantes ad tempus juxta communiss. sent. tenentur ad leges, sed tempore delirii excusantur ab eis, modo delirii causam culpabilem non dederint, nec tales transgressiones aliquo modo praeviderint. Idem dic de ebriis, ignorantibus, et dormientibus.

R. Maxime: ex vi directiva, idest ad bonum exemplum.

Q. *Vagus tenetur ad leges municipales loci, ubi reperitur?* (1)

R. Maxime; aliter esset exlex, quod rectae sui gubernationi repugnat.

Q. *Advena tenetur?* (2)

R. Maxime, quia fit incola illius loci.

Q. *Peregrinus tenetur?* (3)

R. Ad leges civiles tenetur: ad leges ecclesiasticas, quaestio. At rationabilius dicendum: ad negativas teneri ratione scandali; ad affirmativas non teneri, nisi per notabilem temporis moram in eo loco sistat, et commode possit.

Q. *Peregrinus tenetur servare leges proprii territorii, dum extra illud versatur?*

R. Minime: lex enim afficit locum, et commorantes in loco (4). Excipe si sint personales, aut earum violatio effectum habeat in proprio territorio (5).

Q. *Peregrinus teneturne, antequam exeat, adimplere legem, quando perventurus est ad locum, ubi non viget?*

R. Quaestio. At verius: si jam contraxit obligationem et lex consistit in unico actu, uti auditio Missae, tenetur; dummodo potest sine gravi incommodo: si vero lex consistit in continuatione, uti jejunium, non tenetur.

---

(1) Vagus est ille, qui nullibi fixum habet domicilium, sed hinc inde vagatur.

(2) Advena est, qui exit a proprio territorio, et alibi figit domicilium. Domicilium acquiritur quando quis alicubi moratur animo semper manendi; si vero per annum aut per majorem anni partem, tunc dicitur quasi-domicilium.

(3) Peregrinus est ille, qui a loco proprii domicilii recedit ad breve tempus animo redeundi.

(4) Si peregrinus exit a proprio territorio hac intentione, ut eximatur a lege, non peccat; quia utitur jure suo. Ligor.

(5) Hinc sacerdos in sua Dioecesi suspensus a Missa, nec etiam in aliena celebrare potest: et beneficiatus, qui non residet in loco beneficii, omissionem patrare censetur in proprio territorio, ideoquo poenas ibidem latas contra non residentes incurrit.

De materia, et obligatione legis humanae.

Q. *Quaenam est materia legis humanae?*

R. Sunt actiones, quae praecipiuntur vel prohibentur.

Q. *Actiones indifferentes possuntne esse materia legis humanae?*

R. Si sunt undequaque indifferentes, non possunt; secus possunt.

Q. *Lex humana potest praecipere, vel prohibere actus internos?*

R. Lex ecclesiastica potest non solum indirecte, sed etiam directe, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. contra Michâêlem Molinos. Lex civilis potest tantum indirecte (1).

Q. *Lex humana obligat in conscientia?*

R. Maxime: *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Rom. XIII. 5. (2).

Q. *Obligat sub gravi, an sub levi?*

R. Si materia legis est undequaque levis, obligat semper sub levi: secus obligat sub gravi vel sub levi, prout dignosci potest ex voluntate legislatoris, ex fine legis, ex consuetudine et usu.

Q. *Plures parvae transgressiones legis efficiunt materiam gravem?*

R. Maxime, si coalescunt in se, vel in ordine ad eumdem effectum; secus non (3).

---

(1) Si actus internus per se praecipitur, dicitur directe praeceptus, uti est actus charitatis, fidei etc. Si vero praecipitur aliqua actio externa, quae connexionem habet cum actu interno, actus internus dicitur indirecte praeceptus: huiusmodi est consensus in contractibus.

(2) Unde patet hoc praeceptum *a nemine unquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et ecclesiae legibus adversetur.* Pius IX. in encyclica: *Qui pluribus.*

(3) Ex. gr. plura furtula coalescunt in se, plures parvae fractiones jejunii coalescunt in ordine ad eundem effectum. Non coalescunt

De modo, quo observandae sunt leges.

Q. *Quomodo adimplenda est lex?*

R. Lex affirmativa adimpletur deliberate praestando quod ipsa praecipit, ea intentione, fine, modo, tempore, aliisque circumstantiis, prout lex ipsa requirit: lex vero negativa omittendo quod ipsa prohibet (1).

Q. *Si quis per vim, vel per metum ponit opus a lege praeceptum, satisfacit legi?*

R. Lex libere adimplenda est: hinc si per vim, non satisfacit; si per metum, satisfacit, sed peccat affective ob malam voluntatem.

Q. *Si quis sine intentione satisfaciendi legi ponit opus a lege praeceptum, satisfacit legi?*

R. Maxime, quia in adimpletione legis requiritur tantum intentio ponendi opus praeceptum (2).

Q. *Si quis ponit opus praeceptum, sed per actum ex aliqua circumstantia malum, satisfacit legi?*

R. Videndum: si haec circumstantia mala destruit substantiam adimpletionis legis, uti si quis missam audiret confabulando prolixe cum alio, non satisfacit. Si vero circumstantia mala non tollit substantiam adimpletionis, puta, si quis audit missam ex vanitate, satifacit (3).

---

vero parvae fractiones legis 1. vel ratione diversi temporis, puta, plures parvae fractiones jejunii singulis diebus Quadragesimae; 2. vel ratione diversi praecepti, puta, si qnis eodem die omittat parum officii, missae etc. 3. vel ratione diversae personae, puta, si plures die festo parum laborent.

(1) Hinc si quis aegrotus vel carcere inclusus non furetur, praeceptum non furandi adimplet, etiam sine intentione seu voluntate non faciendi quod praeceptum est.

(2) Hinc satisfacit missae, qui die festo missam audit, ignorans esse festum: immo etiam si intentionem habeat non satisfaciendi legi; modo tamen opus non sit ad aliam obligationem deliberate directum. V. Ligor.

(3) Nota. Nomine circumstantiarum veniunt etiam finis et modus legis: hi enim vel sunt *intrinseci*, seu essentiales, et semper atten-

Q. *Per unicum actum possunt adimpleri plures leges?*

R. Maxime, si praecipiunt ex eodem motivo formali, et aliud non constet de voluntate praecipientis; secus non (1).

Q. *Per diversos actus possunt eodem tempore plures leges adimpleri?*

R. Maxime, dummodo attentio uni debita non tollat attentionem alteri debitam (2).

Q. *Qui non potest totam legem servare, tenetur servare partem, si potest?*

R. Maxime, si praeceptum est divisibile; quia tunc obligat ad omnes et singulas partes (3). At si duo praecepta simul adimpleri nequeant, maius et praestantius servari debet.

De cessatione legis.

Q. *Quomodo cessat obligatio legis?*

R. Multis modis, nempe, cessante fine legis, abrogatione, epikeja, consuetudine, dispensatione et privilegio.

Q. *Cessante fine legis, cessat semper obligatio legis?*

R. Si finis legis cessat pro tota communitate et in toto, cessat lex: si vero cessat pro aliquo individuo parti-

---

dendi sunt, aliter destruitur substantia legis; vel sunt *extrinseci*, seu accidentales, et non sunt attendendi, nisi expresse praecepti, uti si praeciperetur orare pro pace Ecclesiae flexis genibus, quia tunc intrant in substantiam legis.

(1) Nota. Ex eodem motivo formali idem est ac dicere ex eadem virtute, et sub eodem respectu; hinc audiendo unam missam adimples praeceptum Dominicae, et alterius festi in eodem die incidentis. Si vero confessarius pro satisfactione sacramentali imposuit auditionem missae, unam missam audiendo non adimples satisfactionem et praeceptum Dominicae simul; cum illa ex poenitentia, et istud obliget ex religione.

(2) Hinc potes simul missam audire, et officium recitare.

(3) E. G. si non potes totum officium recitare, teneris ad illam partem, quam potes. At si dubium est an partem recitare valeas, ad nihil teneris. Lig.

culari, videndum; si cessat *contrarie*, nempe quia lex evadat sibi nociva vel valde difficilis, cessat pro eo legis obligatio: si *negative*, quia fit inutilis, non cessat obligatio legis; lex enim respicit communitatem.

Q. *Quid est abrogatio?*

R. Est totius legis abolitio, quae si fiat quod ad aliquam partem tantum, dicitur *derogatio*.

Q. *Quid est epikeja?*

R. Est benigna legis interpetratio, qua prudenter creditur aliquem casum ob aliquas circumstantias in lege non comprehendi (1).

Q. *Quid est consuetudo?*

R. Est jus quoddam moribus introductum, quod pro lege suscipitur. Potest esse vel juxta legem, quando nempe legem interpretatur; vel praeter legem, quando jus novum introducit; vel contra legem, quando legem abrogat, vel derogat (2).

Q. *Quid dispensatio?*

R. Est relaxatio legis facta alicui ab habente potestatem ordinariam, vel delegatam (3).

---

(1) Epikeja differt ab interpretatione. Epikeja enim mentem legislatoris interpretando cum fundamento, decernit non fuisse mentem legislatoris illum casum comprehendere in lege sua. Interpretatio vero explicat vel verbum aliquod obscurum, vel sensum non satis notum legis. Interpretatio potest esse *authentica*, *usualis* et *doctrinalis*. Prima fit ab ipso legislatore, vel ejus vicario; secunda fit a consuetudine; tertia a doctoribus.

(2) Hinc patet, quod ad veram consuetudinem requiritur 1. ut ejus materia possit esse materia legis; 2. ut introducatur a majori parte communitatis animo se obligandi; 3. ut superior non contradicat; 4. ut habeatur diuturnitas temporis, puta, saltem decennium.

(3) Potestas *ordinaria* dicitur illa, quae adnexa est alicui officio; *delegata*, quae recipitur ex commissione habentis ordinariam. Pontifex habet potestatem ordinariam dispensandi in lege ecclesiastica pro tota Ecclesia. Episcopus et Vicarius Capitularis, non vero Vicarius Generalis, in sua dioecesi pro legibus dioecesanis, et in aliquibus casibus etiam pro legibus pontificiis: nimirum quando adest necessitas et difficilis accessus ad Pontificem; quando intervenit legitima con-

Q. *Requiritur causa, ut dispensatio sit valida?*

R. Si dispensatio conceditur a superiore, etiam sine causa est valida; si ab inferiore, sine causa est nulla.

Q. *Cessante causa finali cessatne dispensatio?*

R. Si cessat tempore concessionis, sive Superior dispenset per se sive per delegatum, cessat dispensatio; quia causa non subsistit: si vero post concessam dispensatio-

---

suetudo dispensandi; in rebus levibus vel frequentibus v. g. jejuniis, festorum observantia; et quando dubitatur an casus dispensatione indigeat.

Qui habet potestatem ordinariam, potest eam delegare alteri. Delegatus vero non potest eam subdelegare, nisi sit delegatus a Principe, vel a Pontifice, vel etiam delegatus ad universitatem causarum, puta Vicarius, Viceparochus etc. qui tamen ex D. Th. non potest totam suam potestatem alteri communicare, sed potest partem.

Delegatio cessat: 1. morte delegati, si est personalis; nam delegatio realis (intuitu officii, dignitatis) transit ad successores: 2. per delegati depositionem, re integra, quando nempe nil adhuc de ea sit actum: 3. lapsu praefixi temporis, vel finito negotio: 4. per delegati renuntiationem: 5. per delegantis revocationem.

An vero cesset resoluto jure delegantis, puta per ejus mortem, cessationem ab officio, etc. dist. Vel delegatio est pro gratia facienda, et tunc expirat, si res est integra; cum sit verum mandatum: secus, si non est integra; quia res incepta habetur pro completa. Vel delegatio est pro gratia facta, et nunquam expirat, quia comparatur donationi. Excipe si data sit sub conditione· *Ad arbitrium nostrum, donec nobis placuerit*, etc. tunc enim sicut resoluto jure delegantis cessat arbitrium et beneplacitum ejus, sic et delegatio: nisi vigeat consuetudo contraria, ceu in Ecclesia Neapolitana.

Dicitur *gratia facienda*, quando facultas conceditur in favorem alterius pro certo casu, et relinquitur arbitrio delegati, ut possit gratiam concedere, puta si in rescripto habeatur: *Ut dispensare possis ac valeas; pro tuo arbitrio dispenses, absolvas, provideas*, etc. *Gratia facta*, quando est in favorem delegati, uti facultas dispensandi in votis, audiendi confessiones, absolvendi a reservatis, etc: vel quando delegatus designatur tanquam merus executor necessarius, puta si in rescripto legatur: *Ut dispenses cum Titio, absolvas, provideas de beneficio*, etc. quia tunc gratia jam est a superiore concessa, et delegatus designatur tantum pro gratiae executione.

nem, sed ante illius usum, quaestio. At rationabilius sic distinguendum: si dispensatio est de re *individua*, quae nempe consistit in unico actu, puta de aliquo impedimento matrimonii, irregularitatis, etc. non cessat dispensatio; quia impedimentum jam sublatum est: si autem dispensatio est de re *dividua et successiva*, puta de praecepto jejunii, recitandi horas canonicas, etc. tunc cessat; quia, cessante causa, reviviscit obligatio legis.

Q. *Quid est privilegium?*

R. Est facultas constanter permanens a superiore concessa faciendi contra vel praeter legem (1).

DE PECCATIS

Q. *Quid est peccatum?*

R. Juxta D. Augustinum est *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam* (2).

---

(1) Dispensatio est in ordine ad actum, vel casum aliquem particularem, et de sua natura non est permanens, sed transiens; ideoque a privilegio differt.

Privilegium dicitur *contra legem*, quando datur exemptio ab oneribus communibus, uti privilegium Bul. Cruc. pro ovis et lacticiniis; et hujusmodi privilegium est strictae interpretationis: excipe si datum sit alicui Communitati Religiosae. Privilegium *praeter legem* est, quando conceditur facultas iis, quibus de jure non competit, sed sine ullius praejudicio, uti dispensatio in votis, absolutio a censuris reservatis; et hujusmodi privilegium est latae interpretationis.

Insuper privilegium potest esse *personale*, si directe conceditur personae; et *reale*, si datur alicui intuitu dignitatis, officii, loci, etc. Primum adhaeret personae, et exerceri potest ubique; modo non sit contra statutum speciale territorii, in quo moratur. Alterum adhaeret loco, et exerceri nequit extra territorium designatum. Denique privilegium non cessat per mortem concedentis, cum sit gratia facta: attamen, cum sit *privata lex aliquid speciale concedens*, cessat iisdem fere modis, quibus cessat lex.

(2) Haec definitio convenit peccatis etiam omissionis, nam affirmatio et negatio reducuntur ad idem genus: et convenit quoque peccatis commissis contra leges humanas, nam istae a lege aeterna proveniunt.

Q. *Quotuplex est peccatum?*

R. *Originale*, quod ab Adam contrahitur. *Personale*, quod a propria peccantis voluntate committitur. *Carnale*, quod in quadam delectatione carnali consistit, uti gula. *Spirituale*, quod consistit in delectatione spirituali, uti superbia. *Ex ignorantia, ex fragilitate*, et *ex malitia* quod ad causam. *Cordis, oris*, et *operis* quod ad modum. *Actuale* et *habituale:* primum est ipse actus contra legem; secundum est macula remanens in anima ex peccato actuali non retractato. *Omissionis*, quod opponitur praecepto affirmativo. *Commissionis*, quod opponitur praecepto negativo. Tandem *mortale* et *veniale* (1).

Q. *Quaenam requiruntur ad constituendum peccatum sive mortale, sive veniale?*

R. Tria: moralis malitia actionis, advertentia ad hanc malitiam, et liber consensus (2).

Q. *Quaenam requiruntur ad constituendum peccatum mortale?*

R. Gravitas materiae, perfecta advertentia, et perfectus consensus (3).

---

(1) Aliqui distinguere volebant etiam peccatum in *Theologicum* et *Philosophicum*: primum quod supra definivimus; secundum dicebant esse illud, quod committitur ab eo, qui Deum ignorat, vel ab eo, qui de Deo actu non cogitat. Tale peccatum affirmabant non offendere Deum, quantumvis grave, neque poenam aeternam mereri; sed damnata fuit eorum propositio ab Alexandro VIII.

(2) Non requiritur semper advertentia actualis et consensus directus; sed sufficit advertentia virtualis, ut in peccatis ex ignorantia vincibili, et consensus indirectus, nempe in causa. Unde etiam sine actuali et expressa advertentia bene imputantur ad culpam mala, quae patrantur vel ob culpabilem negligentiam, vel ob passionem aut pravum habitum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando.

(3) In dubio autem de consensu non censetur plene consensisse: si quis sit timoratae conscientiae, et dispositus potius mori, quam mortaliter peccare; si malum grave cogitatum potuisset facile exequi, et non sit executus; si quis dubitet an vigilans vel dormiens, an sui compos vel impos quidquam fecerit, modo ad haec peccata non sit assuetus. E contra praesumitur plene consensisse: si quis sit

Q. *Quaenam constituunt peccatum veniale?*

R. Vel parvitas materiae, vel imperfecta advertentia, vel imperfectus consensus (1).

Q. *Quotuplici modo potest esse peccatum mortale, et veniale?*

R. Per se, vel per accidens. Dicitur per se, quando tale est de sua natura, ex. gr. blasphemia de sua natura est peccatum mortale: mendacium jocosum de sua natura est veniale. Dicitur per accidens, quando tale non est de sua natura, sed tale fit ex aliqua circumstantia.

Q. *Quibus ex causis peccatum mortale per se transit ad veniale per accidens?*

R. Vel ratione imperfectae advertentiae, vel ratione imperfecti consensus, vel ratione parvitatis materiae (2).

Q. *Quibus ex causis peccatum veniale per se potest esse mortale per accidens?*

R. Ex his, nempe ratione scandali (3); ratione finis mor-

---

pravae vitae, ac malis consuetudinibus illaqueatus; si loquatur, tangat, saepe saepius oculos in idem pravum objectum consulto dirigat; diu cogitationem illicitam mente revolvat; etc.

(1) Est de fide, quod adsit discrimen inter peccatum mortale et veniale, ut ex Tridentino contra Protestantes. In hoc conveniunt peccatum mortale et veniale, quod ambo sunt mala, ambo offensa Dei, ambo merentur poenam: in hoc vero disconveniunt, quod peccatum mortale est gravis offensa Dei, privat animam gratia sanctificante, et meretur poenam aeternam; veniale est levis offensa Dei, minuit tantum gratiam, et meretur poenam temporalem.

(2) Adverte, quod parvitas materiae dari non potest in peccatis contra virtutes theologicas, in juramento assertorio, in blasphemia, in simonia de jure divino, in fractione sigilli sacramentalis et jejunii naturalis ante communionem, in contemptu formali legis vel legislatoris, et in actibus venereis deliberatis extra matrimonium; quia in his peccatis quaelibet parva materia continet gravem malitiam. Hinc quando dicitur peccatum esse *grave in toto genere suo*, intelligitur non admittere parvitatem materiae, nisi tantum ratione imperfectae advertentiae vel consensus; secus vero quando dicitur grave in *genere suo*.

(3) E. g. si quis verbum jocosum proferat praevidens aliquem ex illo verbo esse blasphematurum.

taliter peccaminosi adiuncti (1); ratione ultimi finis (2); ratione periculi proximi peccandi mortaliter (3); ratione contemptus formalis (4); ratione conscientiae erroneae (5); et ratione plurium materiarum simul coalescentium (6): unde versus:

Scandala, finis, amor, discrimen, temptus, et error,
Vel levium nexus: his leve grande fiet.

De distinctione, et circumstantiis peccatorum.

Q. *Quotuplex est distinctio peccatorum?*

R. Duplex: specifica, et numerica.

Q. *Unde desumitur distinctio specifica?*

R. Ex oppositione ad diversas virtutes, vel ex oppositione ad eandem virtutem modo diverso (7).

Q. *Unde desumitur distinctio numerica peccatorum?*

R. Si sermo est de peccatis internis, distinctio nume-

---

(1) Uti qui leviter furatur, sed ad fornicandum.

(2) Uti si quis aliquod veniale ita committeret, ut sit paratus potius peccatum mortale committere, quam illud veniale omittere.

(3) Ita si quis ex curiositate mulierem aspiciat, satis expertus ex tali aspectu saepe in delectationem morosam, vel in turpe desiderium incidisse.

(4) Contemptus materialis habetur in qualibet violatione legis: formalis vero est, quando violatur lex contemnendo legem vel legislatorem, prout est lex vel legislator.

(5) Quando scilicet quis veniale committit erronee judicans esse mortale.

(6) Parvae materiae possunt coalescere vel in se, ut plura furtula, vel in ordine ad eundem effectum, uti plures parvae fractiones jejunii in eodem die.

(7) Ita blasphemia specifice differt a fornicatione; quia illa opponitur virtuti religionis, haec opponitur castitati. Furtum et homicidium, licet opponantur eidem virtuti justitiae, quia opponuntur modo diverso, specifice etiam differunt inter se. Adverte, quod ob diversitatem praeceptorum, vel ob diversas circumstantias peccata specifice non differunt inter se, nisi quando adest oppositio ad diversas virtutes vel ad eandem virtutem, sed diverso modo.

rica desumitur ex interruptione actuum (1). Si sermo est de peccatis externis, distinctio desumitur ex actibus in suo esse completis (2). Insuper peccata tam interna, quam externa numerice multiplicantur etiam ex objectis totalibus, integris, et numero distinctis (3).

Q. *Quid sunt circumstantiae peccatorum?*

R. Sunt quaedam accidentia, quae comitantur actionem, et continentur in hoc versiculo: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando* (4). Hae vero sunt vel mutantes speciem, vel aggravantes speciem, vel minuentes. Mutantes sunt duplicis generis: aliae actionem bonam reddunt malam, uti esset eleemosyna facta ob vanitatem; aliae actioni malae aliam malitiam addunt, uti furtum in ecclesia. Aggravantes sunt etiam duplicis generis: aliae sunt in infinitum aggravantes, quando nempe peccatum ve-

---

(1) Actus interni interrumpuntur vel per retractationem, vel per actum virtutis oppositae, vel per moram temporis: utrum vero per involuntariam cessationem, puta per studium, per somnum, quaestio. Attamen notandum cum D. Lig. quod actus internus semper interrumpitur post duorum vel trium dierum spatium, modo non perseveret in aliquo effectu: hinc si quis ad homicidium patrandum per plures dies arma emit, media excogitat, viam carpit, hostem quaerit et occidit, unum peccatum committit.

(2) Dicitur actus in suo esse completus, quando nihil deest naturae ipsius actus. Quare peccata cordis, oris, et operis si sint coordinata ad unum, unum peccatum constituunt; uti si quis ad fornicationem tendens verba turpia, oscula, tactus praemittit, et copulam habet, unum peccatum committit: secus, tot sunt peccata, quot actus.

(3) Hinc si quis unico actu desiderat mortem trium suorum inimicorum, tria peccata committit. Si unico actu praebet scandalum decem, decem peccata committit.

(4) *Quis*, nempe qualitas agentis e. g. an uxoratus, voto ligatus. *Quid*, objectum, an res furata vel persona offensa sit sacra. *Ubi*, locus, an in Ecclesia, in foro. *Quibus auxiliis*, media operandi, an veneno, maleficio, gravi metu damnum sit illatum. *Cur*, finis, an ad ludendum, fornicandum. *Quomodo*, modus peccandi, an ex ira, odio, ignorantia. *Quando*, tempus commissionis aut durationis delicti.

niale per se reddunt mortale per accidens; aliae notabiliter aggravantes, quando nempe aggravant intra idem genus peccati, puta, mortale est furari quinquaginta, mortale gravius est furari centum. Minuentes sunt etiam duplicis generis: aliae sunt in infinitum minuentes, quando mortale per se reddunt veniale per accidens; aliae notabiliter minuentes, quando minuunt intra idem genus.

De consuetudinario, recidivo, et occasionario.

Q. *Quid est consuetudo seu habitus peccandi?*

R. Est facilitas peccandi orta ex actibus repetitis (1).

Q. *Quinam dicitur consuetudinarius, et quinam recidivus?*

R. Consuetudinarius dicitur, qui peccat et non confitetur: recidivus, qui peccat, confitetur, et eodem modo peccat.

Q. *Qui habet pravam consuetudinem, peccatne semper?*

R. Peccat semper ac advertit suam obligationem destruendi consuetudinem, et destruere negligit: peccat etiam semper ac ex consuetudine non retractata aliquod peccatum committit etiam sine actuali advertentia.

Q. *Consuetudinarius, vel recidivus est absolvendus?*

R. Consuetudinarius, si est vere dispositus, potest absolvi. Recidivus non est absolvendus; excipe, si det signa extraordinaria (2).

Q. *Poenitens tenetur manifestare confessario suam pravam consuetudinem?*

---

(1) Ad constituendam consuetudinem sufficiunt quatuor vel quinque actus eiusdem generis, tempore distincti et non per longum tempus disjuncti; sed pro peccatis turpibus etiam pauciores actus: hinc merito dici possunt habituati, tum qui quinquies in mense diversis et interpositis diebus marte suo tabernam ingreditur et toties inebriatur; tum qui semel in mense per annum fornicatur. Scavini.

(2) Uti ex. gr. major contritio per lacrymas et suspiria ex corde; minor numerus peccatorum in iisdem tentationibus, aut post magnum conflictum relapsus; confessio spontanea peccati jam culpabiliter omissi; restitutio, vel pax peracta; accurata obedientia Confessarii dictis; subitus horror peccati ex motivo extraordinario, puta, auditae concionis, mortis alicujus, pestis, terraemotus, etc.

R. Si est interrogatus, tenetur, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Si non est interrogatus, distinguo: si manifestatio consuetudinis est necessaria, ut confessarius efformet rectum judicium, tenetur; secus non tenetur.

Q. *Quid est occasio?*

R. Est omne id, quod allicit ad peccandum sive ex sua natura, sive ex fragilitate poenitentis (1).

Q. *Quotuplex est occasio?*

R. Remota, et proxima. Remota est illa, in qua quis positus nunquam, vel raro peccavit, et prudenter credit se non peccaturum. Proxima est illa, in qua quis positus semper, vel frequenter peccat, vel prudenter credit se peccaturum. Proxima vero potest esse necessaria, et voluntaria. Necessaria, si physice aut moraliter tolli non potest (2): voluntaria, si physice et moraliter tolli potest (3).

Q. *Potest absolvi occasionarius?*

R. Si est in occasione remota, potest: si est in occasione proxima, distinguo: si occasio est voluntaria, non potest, nisi deserat occasionem proximam, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. (4); si occasio est necessaria, et nec etiam potest absolvi, sed danda sunt ei media prius

---

(1) Occasio differt a consuetudine, quia consuetudo est ab intrinseco, occasio est ab extrinseco.

(2) *Moraliter*, intellige, quando tolli nequit sine peccato, vel sine periculo vitae, aut infamiae, aut scandali, magnaeque jacturae bonorum, etc.

(3) Ad constituendam occasionem proximam non requiritur, ut quis frequenter in ea reperiatur, sed sufficit, ut semper ac in ea positus sit, peccet. Hinc si quis semel in anno pergit in aliquem locum, et ibi cum quadam persona semel in anno semper peccat, est jam in occasione proxima.

(4) Occasio proxima voluntaria semper fugienda est, etiamsi adsit causa utilis et honesta illam non fugiendi, uti habebat propositio damnata ab Innocentio XI: nec unquam directe possumus occasionem proximam peccandi quaerere etiam pro bono spirituali, vel temporali nostro vel proximi, uti habebat alia propositio damnata ab eodem Pontifice.

efficacia, postea efficaciora, et tandem efficacissima, ut occasio proxima evadat remota, et tunc potest absolvi (1).

De delectatione morosa.

Q. *Quid est delectatio morosa?*

R. Est deliberata complacentia de aliqua re mala cogitata sine executionis intentione (2).

Q. *Quotuplex potest esse?*

R. Potest esse vel de re mala, vel de cognitione rei malae, vel de modo operandi rem malam.

Q. *Delectatio morosa est peccatum?*

R. Distinguo: vel sermo est de sola cognitione seu cogitatione rei malae, vel de modo operandi rem malam, et per se non est peccatum (3): vel sermo est de re mala, et delectatio est peccatum illius speciei et gravitatis, ac est objectum circa quod versatur (4).

---

(1) Media sunt, orare, jejunare, confessionem frequentare, vitare ne solus cum sola versetur, quotidie ante Crucifixum propositum non peccandi renovare, etc. Notandum tamen est, quod occasionarius cum promissione removendi occasionem proximam potest statim absolvi 1.° quando affert signa extraordinaria doloris, praecipue si qua sit absolutionis necessitas; 2° quando non potest ad Confessarium redire, vel nonnisi post longum tempus, modo non fuerit jam ab alio Confessario monitus et non obtemperaverit; 3.° in articulo vel periculo mortis, si tempus aut modus non suppetat removendi occasionem: alias non est absolvendus (maxime si scandalum adesset non removendo talem occasionem) nisi ea remota.

(2) Dicitur morosa non a mora temporis, sed a mora mentis. Si adest volitio exequendi, dicitur desiderium. Si vero res mala jam patrata est, et de hac aliquis se delectat, dicitur gaudium. Ad haec tria reducuntur peccata mere interna. Quod dicitur de delectatione morosa, dicitur etiam de gaudio et de desiderio.

(3) Dicitur *per se*, quia haec delectatio potest esse vel bona, si adsit justa causa cogitandi, e. g. studii, consultationis, etc. cum abominatione objecti; vel venialiter mala, si fiat ex curiositate; vel aliquando etiam graviter mala, si adsit periculum proximum consensus in rem malam. Lig.

(4) Unde non licet viduis se delectare de copula habita in matri-

Q. *Delectatio de re mala sub conditione, si mala non esset, est ne peccatum?*

R. Si res est intrinsece mala, est peccatum; secus non, quia conditio tollit malitiam objecti.

Q. *Delectatio de aliqua legis violatione, facta tamen sine culpa, estne peccatum?*

R. Si cum violavit legem, ad legem non tenebatur, non est peccatum: si ad legem tenebatur, est peccatum (1); nam se delectat de re mala.

Q. *Se delectare de bono secuto ex opere malo, estne peccatum?*

R. Minime: esset tamen peccatum se delectare de opere malo ob bonum inde secutum; quia delectatio cadit super opus malum.

Q. *Delectatio de morte vel malo proximi estne semper peccatum?*

R. Si delectatio sit de morte vel malo temporali alicujus ob bonum spirituale, aut ob bonum temporale communitatis, non est peccatum; ob bonum temporale peculiare, est peccatum. Si vero delectatio sit de morte vel malo spirituali, semper est peccatum, cum sit contra caritatem (2).

---

monio, neque sponsis de futuro de copula habenda; agitur enim hic et nunc de re mala: sicut e contra licet conjugibus se delectare de copula habita vel habenda, modo absit periculum pollutionis. Utrum delectatio sumat etiam specialem malitiam ex circumstantiis, quae cum objecto conjunctae sint, licet mens de illis non cogitaverit, quaestio. Desiderium et gaudium semper sumunt specialem malitiam a circumstantiis; hinc si quis optat occidere inimicum praescindendo in sua intentione quod ipse sit clericus, peccat tamen et contra justitiam, et contra religionem.

(1) Hinc si quis in infirmitate, die vetito, carnes comedit, et de comestione se delectat, non peccat. Si sanus ex inadvertentia comedit, et postea advertens se delectat et gaudet, peccat. Merito damnata fuit ab Innocentio XI propositio, quae ajebat: *Filium non peccare si gauderet de parricidio in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

(2) Quod dictum est de delectatione, intelligitur etiam de delibo-

DE QUIBUSDAM PECCATIS IN SPECIE

De blasphemia.

Q. *Quid est blasphemia?*

R. Est locutio contra Deum per modum convicii (1).

Q. *Quotuplex est?*

R. Multiplex: nempe interna, et externa. *Interna*, quae mente tantum concipitur; *externa*, quae fit ore, scriptis, vel factis, ut spuere in imagines, has lacerare etc. Insuper haereticalis, et simplex. Prima, quae continet aliquem errorem contra fidem (scilicet vel denegando Deo, quod ei convenit; vel tribuendo creaturis, quod convenit Deo; vel Deo tribuendo, quod ei non convenit). Secunda, quae solum continet convicium. Haec autem potest esse dehonestativa, vel imprecativa. Dehonestativa, quando aliquid profertur Deo conveniens sed per modum convicii, ut illud Juliani Apostatae: *Vicisti Galilaee.* Imprecativa, quando aliquid mali Deo imprecatur, et tunc continet duo peccata, unum contra religionem, et aliud contra charitatem (2).

---

rata tristitia de bono proximi; nam idem est de malo delectari, ac de bono tristitiam concipere.

(1) Dicitur *contra Deum* consideratum nempe in se, vel in suis Sanctis et creaturis in ordine ad ipsum Deum, quatenus in eis elucet aliqua specialis divina perfectio. Unde blasphemiae sunt non solum maledicere Deum, B. Virginem, et Sanctos (quae differunt inter se ratione cultus Latriae, Duliae, et Hyperduliae, quem laedunt); sed etiam maledicere Animam humanam, Coelum, Terram, Res sanctas, aliasque creaturas, etiam ignobiles, addito nomine Dei vel Sancti: e. g. *Mannaggia quest'acqua di Dio, questo fuoco santo.* At probabilius non est blasphemia, neque mortale, maledictio mortuorum, idest *Mannaggia i morti tuoi*, etc. modo non intendatur Anima mortuorum.

(2) Blasphemia ex toto genere suo est peccatum mortale.

Blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor in dioec. neap. incidunt in casum Ordinario reservatum sine censura — C. I. Ad incurrendum casum requiritur, ut blasphemia sit ore prolata, non factis; ex prava consue-

De sacrilegio.

Q. *Quid est sacrilegium, et quotuplex?*

R. Est violatio, seu indigna tractatio personae, rei, vel loci sacri; ideo triplex, nempe personale, reale, et locale est.

Q. *Quotuplici modo violatur persona sacra?*

R. Duplici modo: nempe violentas manus in eam injiciendo, et luxuriose tractando (1).

Q. *Quotuplici modo violatur res sacra?*

R. Per abusum vel sacramentorum, vel sacramentalium, vel sacrae Scripturae, vel cujuscunque rei Deo consecratae (2).

---

tudine; et saltem coram quinque *formaliter* praesentibus, qui nempe omnes audiunt, et intelligunt. Legesis Dissert. Caroli Ciera, vel Theol. moral. Michaelis Manzo, ubi de his fusius agitur.

(1) Olim etiam exigendo ab ea tributum, vel eam vocando ad tribunal saeculare, quae nunc intelligenda sunt juxta Concordata; unde ex Bul. *Apost. sedis* cogentes judicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones (et Concordata); item edentes leges vel decreta contra libertatem, aut jura Ecclesiae inc. in excom. spec. m. Papae reserv, Cas. VII.

Adverte quod persona sacra in 1.° cap. late sumitur, uti videre est in censuris; in 2.° accipitur pro illa ex voto castitatis Deo dicata: quare haec tunc solum peccando committit sacrilegium, quando violat castitatem, quocunque modo violet, sive opere, sive cogitatione, sive alios ad luxuriam inducendo. Peccans cum alia persona etiam sacra duo committit sacrilegia, violando suam et alterius sanctitatem.

(2) Ideoque sacrilegium committitur 1.° indigne ministrando vel suscipiendo Sacramenta, vel Sacramentalia: 2.° verba S. Scripturae ad vana vel illicita detorquendo: 3.° res ad divinum cultum vel Ecclesiam pertinentes auferendo, imagines sacras deturpando, Sanctorum reliquias surripiendo, etc. At extrahentes absque legitima venia ex sacris coemeteriis Romanis reliquias, eisque auxilium vel favorem praebentes incidunt in excom. Papae reser. Cas. XV.

Sacramentalia sunt: *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Be-*

Q. *Quotuplici modo violatur locus sacer?*

R. 1. Per violationem immunitatis ecclesiae (1); 2. per exercitium actionis profanae; 3. per furtum in ecclesia com-

---

nedictus; scilicet Oratio, et praesertim *Pater noster*; aspersio aquae benedictae, impositio cinerum; devota manducatio panis aliusve cibi benedicti; *Confiteor*; elargitio eleemosynae, et alia opera misericordiae; Benedictio Episcopi vel Abbatis consecrati, etc.

(1) Per immunitatem intelligitur Ecclesiae privilegium, ne civilis auctoritas violenter extrahat reos asylum petentes in suis sacris locis. Per loca sacra vero heic veniunt, quae Ecclesiae auctoritate erecta officiis charitatis vel religionis sunt destinata; uti templa et oratoria publica, coemeteria, Episcoporum domus, monasteria, seminaria, xenodochia, etc. Porro supradictum privilegium tam phisice, quam moraliter violari potest, scilicet per vim, aut per dolum vel metum gravem. Quare immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes aut violantes incidunt in excom. Papae reser. Cas. V. Attamen nota, quod haec excommunicatio de jure communi afficit agentes vi extra casus permissos; aut in casibus permissis, sed sine licentia Episcopi vel ejus officialis, et sine interventu personae ecclesiasticae ab Episcopo auctoritatem habentis. Quinam vero sint hujusmodi casus, et alia tam de jure communi, quam vi concordati pro regno neapolitano, videsis apud Manzo Theol. Mor. p. 3. ap. 4. n. 8. et seq. edit. 1845. Verum juris asyli hodie in Regnis saecularibus vix vestigium superest.

Huc quoque accedunt alii casus Const. *Apost. Sedis* contra libertatem Ecclesiae; nam impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, et recurrentes ad hoc ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes inc. in excom. P. res. spec. mo. Cas. VI.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta a S. Sede vel eius Legatis ac Delegatis profecta. Prohibentes directe vel indirecte eorundem actorum promulgationem vel exsecutionem. Laedentes vel perterrefacientes ipsas partes, vel alios (e. g. patrocinatores, executores, etc.) inc. in excom. P.res. spec. mo. Cas. VIII.

Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusque scripturas diripientes aut comburentes, vel praedictis cooperantes inc. in excom. nem. res. Cas. II.

De aliis poenis contra sacrilegos vide in notis de furto, et de homicidio.

missum; 4. per pollutionem ecclesiae, vel coemeterii (1).

Q. *Potest dari sacrilegium in omissione?*

R. Maxime: quando omittitur reverentia ex praecepto debita alicui rei sacrae, puta Eucharistiae.

De Scandalo.

Q. *Quid est scandalum?*

R. Est dictum, vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis (2). Hoc dicitur scandalum activum. Ipsa vero spiritualis ruina, inde accepta, dicitur scandalum passivum.

Q. *Quotuplex est scandalum?*

R. Scandalum activum est duplex, nempe per se, et per accidens: per se, quando quis directe, vel indirecte (3) dat alteri occasionem ruinae spiritualis: per accidens, quando quis occulte minus recte operatur, et casu ab a-

---

(1) Ecclesia polluitur 1. per homicidium; 2. per injuriosam sanguinis humani effusionem; 3. per effusionem humani seminis peccaminosam; 4. per sepulturam infidelis, vel excommunicati vitandi. Ut polluta dicatur ecclesia, requiritur semper, ut factum sit publicum, et in prioribus tribus capitibus requiritur etiam culpa gravis: in homicidio autem et in effusione sanguinis requiritur, ut causa immediate sit posita in ecclesia, licet mors vel effusio extra eam sequatur. Polluta ecclesia polluitur quoque sacristia et coemeterium, si faciunt unum, h. e. si excurrunt inter muros principaliores ecclesiae; non viceversa, quia pars minor non attrahit ad se majorem. In ecclesia polluta est graviter prohibitum divina officia celebrari, et defunctos efferri: quare indiget reconciliatione; et qui in ea celebrat, peccat graviter, sed in nullam poenam incidit.

(2) Dicitur *minus rectum*, quia non requiritur ad scandalum, ut actio vel actionis omissio revera sit mala; sed sufficit, ut habeat speciem mali: *praebens occasionem*, quia non requiritur, ut inductus revera labatur; sed sufficit, ut detur ei occasio lapsus.

(3) Dicitur *directe*, quando dictum vel factum expresse dirigitur ad inducendum alium in peccatum: *indirecte*, quando non dirigitur ad peccatum proximi, sed ad proprium commodum, et praevideri potest ex ipsa actione alium induci ad peccatum.

liis videtur. Scandalum passivum est etiam duplex, nempe datum, et acceptum. Primum est ruina spiritualis, quae oritur ex alterius dicto, vel facto revera minus recto: secundum est ruina spiritualis, quae oritur ex fragilitate vel ignorantia accipientis (et in hoc casu dicitur scandalum pusillorum), vel ex propria malitia, et dicitur scandalum pharisaicum.

Q. *Scandalum estne speciale peccatum?*

R. Scandalum activum per se continet speciale peccatum contra charitatem juxta numerum personarum, quae scandalum acceperunt (1).

Q. *Peccatne semper peccato scandali, qui cooperatur peccato alterius?*

R. Distinguo: si cooperatur per concursum formalem, peccat: si per concursum materialem, non peccat; quia actio tunc per se non influit in peccatum proximi (2).

---

(1) Qui vero scandalum praebet plura peccata committit; nam praeter peccatum contra charitatem, tot alia peccata facit, quot sunt laesiones virtutum, ad quas violandas inducit: sic e. g. qui furando aliquem inducit ad blasphemandum, peccat contra justitiam, charitatem, et religionem: hinc in confessione manifestanda est non solum species inductionis, seu scandali, sed etiam numerus inductorum. Adverte, quod qui peccat coram valde bonis vel valde malis, non peccat peccato scandali: excipe si turpiter peccet.

(2) Ut concursus dicatur materialis, requiruntur istae conditiones: 1. ut opus, quod cooperans ponit, sit bonum vel indifferens; 2. ut ponatur sine ulla intentione peccati alterius; 3. ut concursus sit remotus; 4. ut adsit justa et proportionata causa; 5. et ut non teneatur ex officio impedire peccatum proximi. Harum una si desit, concursus dicitur formalis.

Hinc si mulier se ornat, et se praesentat alicui, a quo scit turpiter amari: si honeste se ornat, et adest justa causa, nempe necessitatis vel utilitatis se huic praesentandi, non peccat peccato scandali; quia concursus est materialis. Sic licitum est cauponi dare vinum ebriaturo, vel ministrare carnes die vetito, si timeat rixas, blasphemias, vel grave sui damnum ex deviatione emptorum.

Si quis petit mutuum ab usurario, vel juramentum a pejeraturo, vel sacramenta a sacrilego ministro, si adest justa causa, non pec-

Q. *Peccatne peccato scandali, qui suadet minus malum jam parato ad inferendum majus?*

R. Si nullo alio modo potest eum removere a majori malo, et non adsit damnum alterius personae, non peccat; quia in hoc casu bonum potius suadet, quam malum.

Q. *Ad vitandum scandalum aliorum suntne omittenda opera bona?*

R. Ad vitandum scandalum pharisaicum non sunt omittenda; ad vitandum scandalum pusillorum omittenda sunt aliquando ex charitate opera bona sive de consilio, sive de praecepto, sed non cum nostro gravi incommodo.

De Furto.

Q. *Quid est furtum?*

R. Est occulta ablatio rei alienae, domino rationabiliter invito (1).

---

cat; quia concursus est materialis. Si famulus scalam sustinet domino ascendenti per fenestram ad stuprandam virginem, ne ipse torvis oculis aspiciatur a domino, vel expellatur a domo, peccat peccato scandali; quia concursus est formalis, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI; exposita enim motiva non sunt causa justa. Vide Ligor. lib. II. tract. III. n. 68. Si vero hoc faciat, ne occidatur, quaestio, utrum peccet. Item non licet dominis hospitiorum (vulgo *caffè, bazar, trattorie*) legenda exhibere folia, quae evidenter, directe, et ordinarie sunt Religioni ac moribus adversa, etiamsi propterea hospites ad ipsos confluere desinant.

Adverte, quod si concurris ad peccatum proximi, quod sit contra justitiam commutativam in damnum tertii, tunc solum adest justa causa, quando tu passurus es damnum in bono superioris ordinis, si negares concursum tuum. Adverte tandem, quod directe praebere proximo occasionem peccandi ad eius experientiam etc. non licet; esset enim concursus formalis: non tollere vero, aut indirecte ponere occasionem peccandi, si adsit necessitas et justa causa, puta, ad proximi emendationem, tunc licet; quia concursus esset materialis.

(1) Dicitur *occulta*, quia si ablatio fit palam dicitur *rapina*, quae specifice differt a furto; adest enim in rapina etiam injuria in personam.

Dicitur *ablatio*, per quam venit occupatio, acceptio, et retentio;

Q. *Quotuplex est furtum?*

R. Simplex, et qualificatum, Primum, quando opponitur tantum iustitiae. Secundum, quando opponitur etiam alteri virtuti; tale est furtum sacrilegum, quod est triplex, nempe *Sacrum de Sacro, Sacrum de non Sacro, et non Sacrum de Sacro* (1).

---

nam ex D. Th. injusta acceptio, et injusta accepti detentio moraliter censetur unica actio.

Dicitur *domino invito*, nam si dominus certo consensisset, non esset furtum, si quis aliquid acciperet. Dicitur *rationabiliter invito*, nam si dominus esset invitus irrationabiliter, nec etiam esset furtum. Hinc si quis in extrema necessitate acciperet alienum, non esset furtum; secus si in necessitate gravi, ut ex propositione damnata ab Innoc. XI.

Si uxor occulte accipit aliquid notabile de bonis viri, quorum ipsa nullum habet dominium, sed vel ad victum et vestitum juxta sui statum, vel ad donationem remuneratoriam faciendam, vel ad subveniendum parentibus, vel ad moderatas eleemosynas non est furtum; quia in his casibus vir esset irrationabiliter invitus: secus esset furtum. Idem dic, si vir de bonis uxoris, si filius de bonis patris, si pater de bonis filii aliquid notabile accipiant.

Si famuli moderate aliquid accipiunt de esculentis et poculentis domini ad proprium usum, non est furtum; secus si ad vendendum, ludendum, etc.

Tandem adverte, quod dum per occupationem bona derelicta fiunt primi occupantis, qui accipit bona naufragantium, committit furtum; quia ista bona non censenda sunt derelicta.

(1) Committentes furtum sacrilegum si usurpant loca vel jura Ecclesiae Romanae, sicut ea detinentes, omnesque cooperantes inc. in excom. P. res. spec. mo. Casus XII. *Ap. Sedis.* Si usurpant vel sequestrant jurisdictionem, redditus, vel bona ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum vel beneficiorum pertinentia inc. in eandem excom. P. res. spec. mo. Cas. XI. Suadentes, vero, per se vel per alios Romano Pontifici alienationem vel infeudationem locorum ad S. Sedem pertinentium inc. in excom. P. res. Cas. XIII. Item excom. P. res. incurrunt ex Trid: praesumptuose 1.° Bona ecclesiastica, etiam locorum piorum, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, usurpantes, vel usurpata ab aliis sibi retinentes, quodcunque fuerit medium, per quod ea bona usurpata sibi devenerint, etiam per suppositas personas clericorum vel

Q. *Quaenam quantitas constituit materiam gravem in furto?*

R. Multi multa dicunt. Aliqui docent, esse materiam gravem furari ab aliquo quantum ei sufficeret pro victu unius diei iuxta conditionem suam (1).

Q. *Dantur casus, in quibus aliquis furatur leve, et peccat graviter?*

R. Maxime: quando nempe affert grave damnum, vel gravem tristitiam domino; aut quando est causa, ut do-

---

laicorum: 2.° Impedientes, ne ea et redditus, ab eis, ad quos jure pertinent, percipiantur: 3.° Usnrpantes jurisdictiones ecclesiasticas ecclesiarum vel beneficiorum, etiam locorum piorum; puta usurpantes potestatem eadem pia loca gubernandi aut ordinandi, contra leges in fundationibus praescriptas, independenter a legitima ecclesiastica auctoritate: 4.° Clerici, quamquam essent legitimi administratores, etiamsi bona et jurisdictiones sibi non usurparent, sed essent usurpationis fabricatores, vel etiam si tantum suo consensu usurpationem coadjuvarent: 5.° Demum legitimi administratores bona alienantes, ut ea sibi usurpent, puta ob tenuissimum pretium, quo alienarent, ut aliunde sibi lucrum percipiant. Sess. XXII. cap. XI. de reform.

Insuper legitimi administratores alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica (etiam locorum piorum, et Congregationum votorum simplicium) absque beneplacito Apostolico subjacent excom. nemini reser. Cas. III.

(1) At attentis hodiernis circumstantiis DD. assignare solent pro pauperibus libellam unam, vel dimidiam: pro operariis lib. 2, vel 3: pro mediocriter divitibus lib. 4, vel 5: pro divitibus ordinariis lib. 6, vel 7: et pro principibus lib. 10, vel 15: quando vero ignoratur status ac conditio personae damnificatae lib. 5, aut 6 circiter sufficiunt pro materia gravi. Scavini.

Adverte quod major quantitas requiritur ad constituendam materiam gravem in pluribus furtulis, quam in uno, praecipue si sint in damnum diversorum, vel alicujus consanguinei: sic e. g. pro pluribus furtulis factis eidem personae per intervalla, aut diversis personis eodem tempore requiritur communis materia gravis cum dimidio: pro furtulis vero diversis personis et discontinuatim factis requiritur materia duplo major. Lig.

minus blasphemet; aut quando furando leve habet animum perveniendi ad materiam gravem (1).

De mendacio.

Q. *Quid est mendacium?*

R. Est mentis et locutionis discordia cum intentione fallendi. Potest esse mendacium vel damnosum, vel officiosum vel jocosum, prout affert damnum, utilitatem, aut jocum.

Q. *Est peccatum grave, an leve?*

R. Officiosum et jocosum per se sunt leve: damnosum, si affert damnum leve, etiam est leve; secus grave (2).

---

(1) Iste a principio peccat graviter affective: coalescentibus postea furtulis per tempus non notabile (idest minus duorum mensium, quod inter unum et aliud furtulum intercedit) peccat graviter effective. In hoc casu ad illam partem, quae dedit complementum materiae gravi, tenetur sub gravi; ad reliquas sub levi. Tandem, si completa jam materia, adhuc aliud furtulum committit, aggravat peccatum suum.

(2) Mendacium opponitur Veracitati, virtus quae facit, ut in significandis nostris cogitationibus res enuntiemus cujusmodi sunt, vel cujusmodi esse putamus. En autem poenae. Falsificantes, et falso publicantes litteras Apostolicas etiam in forma Brevis, ac supplicationum; nec non falso signantes hujusmodi supplicationes inc. in excom. spec. mo. Pp. res. Cas. IX. Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes inc. in excom. Ordinariis res. Cas. III. *Ap. S.*

In nostra dioecesi incidunt in excom. Ord. reserv. omnes falsum deponentes in quavis Curia Civitatis et Dioecesis cum gravi damno tertii; etiam procurantes, aut inducentes ad deponendum, aut quomodocunque utentes falsis testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis tam publicis, quam privatis. Item dolose objicientes falsum matrimonii impedimentum; nec non dantes auxilium, consilium ad illud dolose objiciendum. Cas. VI. At ad incurrendam praedictam censuram necesse est, ut depositio fiat coram judice sive ecclesiastico sive saeculari in nostra dioecesi; testes sint jurati; et grave damnum alterius revera sequatur in bonis tum famae, tum corporis, tum fortunae, quod sit 50. saltem aureorum pro divitibus, et 10 pro pauperibus.

Item in excom. Ord. res. incurrunt falsarii monetarum, tondentes

Q. *Estne licitum uti restrictione mentali vel aequivocatione?*

R. Praemitto: Restrictio mentalis est locutionis modus, cuius pars verbis exprimitur, pars in mente retinetur, quae si ex circumstantiis cognosci potest, dicitur *mixte mentalis*; si nullo modo cognosci potest, dicitur *pure mentalis*. Æquivocatio est locutionis modus duplicem habens sensum, puta, hic liber est Petri; potest enim Petrus esse dominus, et auctor libri. Restrictio mixte mentalis dicitur etiam aequivocatio, vel amphibologia. Hoc posito, restrictio pure mentalis est mendacium, et ea uti non possumus: tamen possumus uti restrictione mixte mentali vel aequivocatione, stante causa; dummodo non teneamur aperire veritatem.

De judicio temerario, et suspicione.

Q. *Quid est judicium temerarium?*

R. Est quando nullis sufficientibus signis, seu rationibus, firmo mentis assensu male sentimus de proximo. Si adsunt sufficientes rationes, iudicium dicitur prudens.

Q. *Quid est suspicio temeraria?*

R. Est mentis inclinatio, sed non firma, ad sentiendum male de proximo, dum non adsunt rationes probabiles; si adsunt, dicitur prudens.

Q. *Judicare, vel suspicari male de proximo est peccatum?*

R. Judicare temere est peccatum grave vel leve, prout est materia. Suspicari temere est peccatum leve; excipe si quis temere suspicatur malum valde enorme de persona valde honesta, uti esset suspicari de pio Religioso, quod sit haereticus (1).

---

nimirum monetas, aut falsas cudentes in districtu Neap. Diocesis. Ex cas. XV. et corpore Synodi. Unde qui chartas monetas falsificant, non incidunt in hanc censuram, cum illae in substantia verae monetae non sint.

(1) At licite quisque potest meliori modo custodiendo, et aliquando

De detractione, contumelia, et libello famoso.

Q. *Quid est detractio, quid contumelia?*

R. Detractio est iniusta imminutio famae alienae. Contumelia est iniusta imminutio honoris alieni (1).

Q. *Quotuplex est detractio?*

R. Duplex; directa, et indirecta. 1. fit praecipue infamando, quando delictum falsum imponitur; vel diffamando, quando occultum manifestatur. 2. fit malitiose silendo, vel minuendo, seu extenuando recta facta alterius.

Q. *Detractio, et contumelia suntne grave peccatum?*

R. Grave vel leve, prout damnum, quod infertur.

Q. *Qui detractorem audit, peccatne?*

R. Si ad detractionem inducit, peccat semper. Si audit tantum, distinguo: si moraliter est certus, quod detractor iniuste loquatur, et prudenter iudicat monitionem esse profuturam, tacendo vel audiendo peccat; secus non peccat.

Q. *Licetne delictum publicum in uno loco manifestare in alio ubi non est publicum?* (2)

R. Etsi alii aliud sentiant, Ligorius lib. III. tract. VI. n. 974. dicit saltem excusari a culpa gravi.

Q. *Quid est libellus famosus?*

---

etiam dubitando cavere sibi ab aliquo, ut prospiciat rebus suis, et occasiones tollat; praecipue si sit superior.

(1) Fama est *alienae excellentiae existimatio*. Honor est *alienae excellentiae testificatio*: h. p. manifestare delictum occultum alicujus, sed ad petendum consilium, aut ob bonum commune vel innocentis, vel ipsius delinquentis, non est detractio, quippe quod non iniustum. Hinc etiam qui diffamatum de uno crimine diffamat de alio crimine, quod cum primo connexionem habet, nec etiam peccat, saltem graviter.

(2) Delictum potest esse publicum vel publicitate juris, vel publicitate facti, vel publicitate famae: 1. quando fit publicum per sententiam judicis, vel confessionem rei, vel depositionem testium: 2. quando est commissum in publico: 3. quando jam est divulgatum.

R. Est signum, vel scriptura continens infamiam occultam alicujus, ut publica fiat (1).

De secreti manifestatione.

Q. *Quid, et quotuplex est secretum?*

R. Secretum est obligatio aliquid reticendi. Potest esse promissum, naturale, et commissum. Secretum promissum habetur, quando quis se obligavit ad aliquid non manifestandum. Naturale habetur, quando quis casu aliquid videt vel audit, quod manifestari non potest sine gravi damno tertii. Commissum, quod dicitur etiam rigorosum et absolute naturale, habetur, quando aliquid non manifestandum alicui committitur expresse, vel etiam tacite, prout medicis, advocatis, theologis consultis, etc.

Q. *Quomodo obligat secretum?*

R. Secretum promissum obligat sub gravi vel sub levi, prout est materia, et prout fuit mens promittentis: nunquam vero, regulariter loquendo, cum gravi incommodo (2), et judici legitime interroganti est manifestandum. Naturale strictius obligat: commissum strictissime; excipe, si vergeret in damnum commune, vel innocentis, vel ipsius committentis, vel proprium.

De homicidio.

Q. *Quid est homicidium?*

R. Est injusta hominis occisio: potest esse simplex, si

---

(1) Adverte, quod nomine *signi* veniunt quaecunque emblemata, imagines, figurae hominem dedecorantes (vulgo *caricature, pasquinate*).

(2) Dicitur regolariter loquendo non obligare secretum cum gravi incommodo, quia si secreti revelatio in commune cedat grave damnum, omnino est reticendum; sic e. g. miles tenetur etiam cum periculo mortis servare secretum, quando illius manifestatio cedit in damnum communitatis; nam bonum commune praevalere debet bono privato.

opponitur tantum virtuti justitiae; et qualificatum, si opponitur etiam alteri virtuti e. g. pietati, uti parricidium, fratricidium, etc. Insuper potest esse voluntarium, et casuale: casuale vero potest esse pure casuale, et mixte casuale, quod dicitur etiam indirecte voluntarium (1).

Q. *Estne licitum occidere seipsum?*

R. Directe nunquam; indirecte vero aliquando licet, nempe non adhibendo media extraordinaria ad vitam servandam.

Q. *Estne licitum occidere injustum aggressorem vitae suae, vel alterius impotentis?*

R. Maxime, sed cum moderamine inculpatae tutelae (2).

Q. *Estne licitum occidere aggressorem bonorum fortunae?*

R. Si ista bona sunt extreme necessaria ad vitam, licet: si vero sunt bona solum magni momenti, quaestio.

Q. *Estne licitum occidere furem unius aurei, seu rei parvi momenti, vel occidere aliquem causa defendendi honorem vel famam, vel jus inchoatum, quod habemus ad aliqua obtinenda, vel marito occidere uxorem deprehensam in adulterio?*

R. Minime: omnes istae sunt propositiones damnatae ab Innoc. XI, et ultima ab Alex. VII.

Q. *Estne licitum aliquando occidere innocentem?*

---

(1) Homicidium pure casuale non imputatur ad culpam; accidit enim praeter intentionem agentis ab actione, ex qua praevideri non poterat esse secuturum: e contra mixte casuale ad culpam imputatur, quia praeter intentionem sequitur, sed agens poterat illud praevidere et tenebatur majorem diligentiam adhibere, vel ab actione abstinere: quare qui dat operam rei periculosae, etiamsi mors non sequatur, graviter peccat ponendo causam; ita e. g. parentes et nutrices, si infantes secum in lecto, nondum completo aetatis anno, tenuerint, graviter peccant ob periculum suffocationis: cum nemo sit dominus eorum, quae somno sopitus agit. Excipe si ex aliqua circumstantia et adhibitis efficacibus mediis periculum fiat remotum.

(2) Ad moderamen inculpatae tutelae reqniritur 1. ut aggressor sit injustus; 2. ut non adsit alia via effugiendi mortem; 3. ut tanta resistentia opponatur, quanta requiritur ad servandam vitam; 4. ut hoc fiat sine animo vindictae.

R. Directe nunquam ; indirecte vero aliquando licet, urgente necessitate et bono publico (1).

De duello.

Q. *Quid est duellum?*

R. Est pugna singularis, suscepta ex condicto, et ex pri-

(1) Hinc potest dux dirigere tormentum bellicum contra aliquem locum inimicum, licet ibi adsint forte innocentes.

Homicidae et mutilatores de jure communi incurrunt irregularitatem, de qua fuse suo loco dicitur. Ex Constit. vero *Ap. Sedis* mutilantes vel interficientes Clericos incidunt etiam in excomm. modo specialiter, modo simpliciter Papae reserv. uti videre est in Cler. percus.

In D. N. Patrantes homicidia, vel mutilationes membrorum in ecclesiis, coemeteriis, sacristiis, aut publicis oratoriis, incidunt in excommunicationem Ord. reserv. C. XI.

Tunc homicidium, et mutilatio membri (quod nempe habet speciale officium in corpore humano) sunt sub hac censura reservata, quando non modo sunt voluntaria et mortaliter peccaminosa, sed etiam in praedictis locis commissa et consummata quoad causam et quoad effectum: unde requiritur, ut ictus in ecclesia etc. recipiatur, quamvis offensor sit extra, et mors ipsa in praedictis locis sequatur; quia in odiosis stricte facienda est interpretatio. Ciera.

Qui vero tantum vulnerat, percutit; vel rumores, rixas, tumultus excitat in ecclesiis incidit in excomm. nemini reserv. ex nostra Synodo.

Conficientes cujuscunque generis venena in hominum perniciem; eadem *scienter* dantes, apponentes, propinantes, sive ad hoc qualitercunque cooperantes vel consulentes, etiam non secuto effectu, incidunt in excomm. Ord. reserv. C. XIII.

Ad hanc censuram contrahendam requiritur, ut parata venena vim habeant inferendi grave detrimentum homini; ut sit animus nocendi homini; et ut adsit scientia facti, et juris: quare ignorantia vincibilis *crassa*, seu *supina* facti vel reservationis excusat ab hac censura; exceptis tantum conficientibus, pro quibus non habetur particula *scienter*. Ita qui vendit hujusmodi venena, cum sciat vel prudenter dubitet de tali usu, incidit; secus vero, qui facit haec usui medicamentorum destinanda, vel ad colores necessaria.

Sub hac censura autem comprehenduntur etiam pharmacum con-

vata auctoritate, cum periculo occisionis vel gravis vulneris, designato tempore et loco (1).

Q. *Estne aliquando licitum?*

R. Minime, quia intrinsece malum, uti ex Tridentino (2).

Q. *Quaenam sunt poenae contra duellantes?*

R. Privatio sepulturae ecclesiasticae (si ex vulnere in duello accepto quis moritur, licet dederit signa poenitentiae et absolutionem obtinuerit) ex Bul Ben. XIV. *Detestabilem*; et excommunicatio Papae reservata, in quam ipso facto incidunt duellum perpetrantes, simpliciter provocantes, acceptantes, mandantes, consulentes, spectatores de industria, permittentes vel non prohibentes (cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis), et alii quomodocunque ad duellum cooperantes (3). ex Bul. *Ap. Sed.* Cas. III.

---

ficientes etc. ad expellendum foetum animatum, quamvis abortus non sequatur; hi enim vere conficiunt, apponunt, etc. venenum in hominis perniciem.

(1) Haec omnia requiruntur pro duello stricte sumpto: et dicitur *ex condicto*, idest ex praecedenti et deliberata conventione; hinc si unus ex rixantibus alium ad dimicandum ex calore iracundiae provocet, et statim pugnent, non est verum duellum. Ita S.C.C.5. oct.1744.

Adverte discrimen inter duellum, rixam, et bellum. Rixa est pugna singularis, sed non ex condicto: bellum est pugna facta auctoritate publica inter multos, et posset etiam fieri inter duos, uti fecit David cum Goliath.

Duellum si fiat cum aliquibus solemnitatibus, puta, affixis chartulis, designatis testibus, patrinis, dicitur solemne; secus dicitur privatum.

(2) Hinc non licet acceptare duellum ad vitandam notam timiditatis; ad servandum honorem, famam, fortunas, vel officium; neque ad illud provocare, etiamsi sciatur, quod pugna non sit secutura; et etiamsi negligentia vel malitia magistratuum civitatem constituat veluti in statu naturali, in qua nimirum justitia aperte denegatur, prout docent variae propositiones damnatae a Ben. XIV.

(3) In Clericos autem adest etiam privatio Beneficiorum jam obtentorum, et inhabilitas ad alia obtinenda. At nota quod provocan-

De abortu.

Q. *Quid est abortus?*

R. Est immatura expulsio foetus.

Q. *Licetne procurare abortum, si foetus est inanimatus, ne puella gravida deprehensa occidatur?*

R. Minime; quia procurare abortum est intrinsece malum (1).

Q. *Licet matri sumere medicinam necessariam ad vitam sibi servandam, si timetur ex hac medicina indirecte abortum?*

R. Distinguo: si foetus est inanimatus, licet; melior est enim vita praesens matris, quam futura prolis: si est animatus, subdistinguo: si moriente matre, moriturus est etiam foetus, licet; quia melius est unum, quam duo mala: si vero moriente matre, adest probabilis spes, quod foetus non moriatur, et baptizetur, non licet; quia vita spiritualis foetus praeferenda est vitae temporali matris.

Q. *Quaenam sunt poenae contra procurantes abortum?*

R. Ex Const. Pii IX *Ap. Sedis* procurantes abortum, effectu secuto, incidunt in excomm. Ordinariis reserva-

---

tes excom. incurrunt, quamvis ab altero duellum non acceptetur: et omnes alii in excommunicationem incidunt, etiam si postea duellum non sequatur, uti ex jure veteri. Excipiuntur autem qui comitantur pugnaturos, sed animo impediendi duellum; et qui vel casu transeundo, vel in secreto, vel a longe duellum conspiciunt, qui in excommunicationem non incurrunt, quippe sua praesentia non acuunt ad pugnam.

Haec excommunicatio, si delictum est publicum, vel deductum ad Forum contentiosum, potest absolvi tantum a Pontifice; secus ab Episcopo ex cap. *Liceat* Trid.

Adverte tamen, quod pro duello stricte sumpto tantum (sive sit solemne, sive privatum) adsunt hae poenae, quae, praeter excommunicationem, non incurruntur nisi post sententiam, saltem declaratoriam criminis, ut dicit Ligorius lib. VII. n. 220.

(1) Intellige de vero foetu; nam si sit corruptus, licet expellere, quia potius est massa putrida.

tam. Cas. II. Quod si foetus sit animatus (1), et effectus secutus ratione homicidii adest etiam irregularitas, quam ex Bul. Gregorii XIV. incurrunt *scienter* procurantes, consulentes, et quocunque modo cooperantes (2).

Q. *Ipsa mulier praegnans procurans sibi abortum incidit in hanc excommunicationem?*

R. Maxime, nam ex Bulla indistincte incidunt procurantes. Alii vero contrarium tenent. 1.ª sent. est communissima, 2.ª valde probabilis. Scavini.

De peccatis turpibus.

Q. *Quid est fornicatio?*

R. Est concubitus soluti cum soluta mutuo consensu habitus.

Q. *Quid est adulterium?*

R. Est violatio tori alieni. Si solutus rem habet cum nupta, vel uxoratus cum soluta, dicitur adulterium simplex: si uxoratus cum nupta, dicitur duplex (3).

---

(1) Licet aliqui dicant intra paucos dies foetum animari, ex praxi tamen s. Poenitentiariae docent DD. quod assignantur quadraginta dies a conceptione masculi, et octoginta a conceptione foeminae. In dubio an foetus sit masculinus vel foemineus, praesumitur foemineus. Lig. III. 396.

(2) Clerici vero ex bul. Xysti V. privantur etiam omni privilegio Clericali cum degradatione, et omni dignitate, officio, ac beneficio ecclesiastico (post sent. saltem declaratoriam criminis); nec non ipso facto inhabiles fiant ad illa.

Nota quod expositae poenae, excepta tantum excommunicatione, 1. probabilius non contrahuntur in dubio, an foetus sit animatus: 2. sunt Pontifici reservatae; quare etsi casus sit occultus, dispensatio irregularitatis petenda est a S. Poenitentiaria, apud quam exprimendum est, si ipse qui abortum procuravit, fuerit genitor foetus; alias ex stylo Curiae subreptitia et nulla erit dispensatio.

In D. N. scienter procurantes per pharmacum abortum foetus animati, etiam effectu non secuto, et cooperantes incidunt in aliam excom. Ord. reser. Cas. XII. uti dictum est in nota de homicidio.

(3) Copula cum nupta, etiam ejus viro consentiente, est semper adulterium. Oppositum est damnatum ab Innoc. XI.

Q. *Quid est stuprum?*

R. Est violatio virginis facta per vim (1). Si per vim violatur vidua vel corrupta, dicitur stuprum late sumptum.

Q. *Quid est incestus?*

R. Est illicitus concubitus cum consanguinea, vel cum affini (2).

Q. *Quid est concubinatus?*

R. Est detentio mulieris in propria vel aliena domo per modum uxoris (3).

Adverte, quod in adulterio praeter peccatum contra castitatem, et contra charitatem, adest aliud peccatum contra justitiam. Idem dic de stupro. At si adulterium est duplex, duo sunt peccata contra justitiam ob violationem juris duorum conjugum.

(1) Per vim tam phisicam, quam moralem, uti dolus, fraus, metus gravis, blanditiae nimis allicientes, etc.

(2) Copula habita cum persona legali, vel spirituali cognatione conjuncta, esset alia species incestus. Praeter peccatum contra castitatem, et contra charitatem, in incestu habetur aliud peccatum contra pietatem.

Averte, quod incestus cum consanguinea non est specie diversus ab incestu cum affini: ita divus Thomas. Diversitas vero graduum utrum constituat peccatum specie diversum, aliqui affirmant de solo primo gradu lineae rectae: aliqui etiam de primo gradu lineae transversalis: aliqui vero de omnibus gradibus.

Ex jure communi vir scienter cognoscens consanguineam suae uxoris usque ad 2.^{m} gradum privatur jure petendi debitum conjugale; et sic uxor viceversa: quare debet reddere, sed petere nequit absque sui Episcopi dispensatione.

In D. N. Incestum committentes cum conjunctis in primo vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis incidunt in excomm. quae pro viris tantum est. Ord. reserv. C. IX.

Pro hac censura requiritur copula naturalis et perfecta inter veros consanguineos vel affines; sive haec affinitas orta sit ex copula licita, sive illicita; non vero ex cognatione spirituali vel legali, quia hic affinitas strictiori sensu accipienda est.

(3) Si filiusfamilias habet rem cum famula, licet adsit animus perseverandi, non dicitur concubinatus; quia non ipse detinet in domo famulam, sed pater.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad concubinatum?*

R. Pluralitas copularum (quatuor nempe, vel quinque), facilis accessus, animus perseverandi, et ut mulier non habeat commercium cum alio.

Q. *Estne obligatus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec sibi utilis esset?*

R. Maxime, et oppositum est damnatum ab Alex. VII (1).

Q. *Quid est sodomia?*

R. Est coitus cum eodem sexu; haec dicitur sodomia perfecta: coitus cum diverso sexu, sed vase indebito, dicitur sodomia imperfecta.

Q. *Quid est bestialitas?*

R. Est coitus cum bestia, et etiam cum cachodaemone (2).

Concubinarius de jure comm. incidit in excomm. fer. sent. et si est clericus, post primam monitionem, privatur tertia parte fructuum sui beneficii, non vero distributionibus quotidianis; post secundam amittit omnes fructus et administrationem; post tertiam expoliatur omni beneficio vel pensione, et inhabilis fit ad alia obtinenda.

In D. N. Concubinarii, et concubinae incidunt in casum Ord. specialiter reserv. sine censura—C. 6.

At haec reservatio cessat: 1.° quando facta reali separatione tori et domus per duos menses se continuerint; 2.° quando certo, aut valde probabiliter constet factos phisice, vel moraliter impotentes ad reincidendum; 3.° quando paulo post sint inter se matrimonium contracturi, idest intra tres dies cum dimidio: imo etiam prima die, a qua incipit decurrere hoc spatium, possunt absolvi; dummodo vere sint dispositi, et occasio sit saltem facta moraliter remota.

(1) Non sunt absolvendi concubinarius et concubina, nisi omnino separantur; quia in occasione proxima voluntaria versantur: quod si autem vera adesset phisica aut moralis impotentia, vide dicta de occasione necessaria in nota pag. 40.

(2) Sodomitae laici de jure comm. sunt excommunicandi: clerici vero aut religiosi privandi sunt officio, beneficio, et privilegio clericali.

In D. N. exercentes sodomiam, vel cum brutis coeuntes masculi tantum incidunt in casum reserv. sine censura C. 2.

In isto casu exigitur sodomia perfecta; consummata intra vas; et exercitium per plures vices, nempe quatuor vel quinque actus non

Q. *Quid sit pollutio, et utrum licita?*

R. Pollutio est seminis effusio extra concubitum; ipsa sive directe, sive indirecte procurata est graviter peccaminosa, utpote intrinsece mala.

Q. *Quid si provenit ex aliqua actione mala* (1) *praeter intentionem agentis?*

R. Videndum: si actio est peccatum grave in materia turpi, tunc pollutio mortalis erit: si veniale in eadem materia, venialis erit, modo pollutio non fuit saepe praevisa et actio ponitur ex rationabili causa; secus magnam suspicionem dat de peccato gravi. Si vero actio est peccatum grave vel leve in alia materia, puta ex ebrietate, iracundia, immoderata carnis comestione, tunc pollutio venialis erit. Excipe tamen si adsit delectatio, consensus, aut ejus periculum in pollutione (2).

---

per longa temporis spatia inter se disjuncti. Utrum vero incidant etiam sodomiam patientes, quaestio etc.

Pro bestialitate vero requiritur perfecta commixtio cum bestia viva sive mare, sive foemina; etsi pro una vice tantum. Ad hanc reducitur etiam concubitus cum daemone in assumpta forma humana, quia est verus concubitus cum individuo alterius speciei, in quo consistit malitia bestialitatis. Cui etiam accedit crimen superstitionis: et peccatum affectivum fornicationis, adulterii, incestus, etc. juxta formam, quam daemon assumit, personae liberae, coniugatae, consanguineae, etc. si concumbens de illa quoque circumstantia delectetur.

(1) Dixi *mala*; quia si actio sit bona vel indifferens, et ponatur ex causa necessaria vel utili vel conveniente animae aut corpori, tunc pollutio, adhuc praevisa, peccatum non est, dummodo absit consensus vel ejus periculum; quia tunc homo potius patitur, quam agit: deficiente vero causa, est peccatum leve.

(2) Pollutio nocturna erit mortalis, quando vel ante directe aut formaliter fuit procurata, et causa non fuit retractata; vel post somnum placuit, et approbata est propter delectationem veneream: alias non.

Dicitur *propter delectationem veneream*, quia si adprobata est, vel etiam optata ob diminuitionem concupiscentiae, aut molestiae, non videtur esse grave peccatum. Adverte quod nemo tenetur pollutionem cohibere in somno inceptam, quando non adest complacentia, vel

Q. *Quid de actibus luxuriae non consummatae?*

R. Nota, quod ad luxuriam non consummatam referuntur oscula, tactus, amplexus, aspectus, vellicationes, titillationes, compressiones manuum, et simila, quae illam provocant. Hoc posito, quando haec efficiuntur ob delectationem carnalem, ac sensibilem (1) (etiamsi absque intentione progrediendi) sunt peccata mortalia, et oppositum fuit damnatum ab Alexandro VII; ideoque in confessione explicandae qualitates personae, cum qua sunt habita; induunt enim naturam actus perfecti. Quando autem eveniunt cum delectatione mere naturali ac sensibili, videndum: si adsit scandalum aut periculum consensus, sunt etiam peccata mortalia: secus vel fiunt ex levitate, curiositate, et sunt venialia; vel ex justa causa, et nullo modo sunt peccata. Excipe tamen in matrimonio, quando ad

---

conatus ad complendam; malitia enim pollutionis in procuratione consistit.

Distillatio vero si data opera, vel cum magna commotione spirituum, vel in magna quantitate procuretur, est peccatum grave, quia in pollutione resolvitur; ac proinde de ea idem dicendum: secus licet eam permittere.

(1) Delectatio carnalis, seu venerea, est commotio spirituum generationi inservientium; sensibilis vero est delectatio naturalis, quae consurgit ex qualitatibus corporibus adnexis, puta ex contactu rei lenis, rosae, panni serici, etc.

Quamobrem turpia et obscena loqui, canere, legere, scribere, vel audire est mortale, si fiat extra conjugium cum delectatione venerea, vel cum probabili ejus periculo in se vel in aliis; secus veniale.

Audire comoedias turpes plerumque est mortale; nisi forte fiat ob simplicem curiositatem vel vanum solatium, secluso periculo consensus, et scandalo, quod in praxi difficillimum est. At ratione scandali semper peccant graviter Religiosi et Clerici, qui comoediis intersunt.

Choreae, si fiant a laicis inter personas honestas, et modo honesto, scilicet sine gesticulationibus inhonestis, praeciso scandalo et periculo libidinis, sunt licitae; secus non.

Mulieres utentes veste virili, vel contra tantum ex levitate, sine prava intentione, aut periculo scandali ac libidinis, venialiter tantum peccant; alias mortaliter: nullo modo si necessitate.

copulam diriguntur et non adest scandalum; quia cui licet plus, etiam minus.

Q. *Quid de viris ac mulieribus, qui seipsos adamant, et invisunt?*

R. Si haec agant ex rationabili causa vel animo contrahendi matrimonium, remoto scandalo et periculo peccandi licet; secus non (1).

Q. *Quid de illis, qui pueros in eodem lecto tenent?*

R. Conjugati in eodem lectulo cum pueris post quinquennium dormientes; et permittentes, ut pueri et puellae quinquennio majores in eodem lecto condormiant, peccatum grave committunt; cum eos probabili periculo turpiter peccandi exponant: excipe si gravi necessitate hoc faciunt, et omnem movent lapidem ad eiusmodi periculum vitandum; quod in praxi difficillimum est (2).

De sollicitatione.

Q. *Quid est sollicitatio?*

---

(1) Unde peccant graviter 1.° uxorati, et voto castitatis ligati visitantes sine justa causa puellas a se inordinate dilectas: 2.° juvenes ad domum sponsae frequenter accedentes; aut eas clanculum vel invitis parentibus invisentes; aut ex vehementi passione vel diu inter se colloquentes: 3.° hujusmodi illicitas visitationes permittentes. Audiatur ad rem S. Doct. Ligorius de praefatis juvenibus loquens: Non sunt isti omnes, generaliter loquendo, de gravi culpa damnandi; sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi; ideoque experientia doctus *vix semel, vel iterum* permitterem hujusmodi visitationes; raro enim reperi, qui in tali accessu non peccaverit, saltem verbis aut cogitationibus; cum omnes aspectus et colloquia inter hujusmodi personas sint incentiva ad peccandum, et moraliter impossibile sit ipsas invicem tractare, et stimulos non sentire ad ea, quae tempore conjugii futura sunt. Praxis conf. cap. ult. §. 1. n. 3.

(2) Dicitur *post quinquennium, et quinquennio maiores;* cum pueri ordinario hac aetate fiant doli capaces: quod si hoc eveniet ante vel post, tunc idem dicendum.

R. Est provocatio ad turpia facta a confessario sub datis clausulis, seu capitibus (1).

Q. *Quot sunt capita sollicitationis?*

R. Sex: *In actu confessionis; immediate ante; immediate post; occasione confessionis; praetextu confessionis; tandem in confessionali, seu in loco destinato vel electo ad audiendas confessiones cum simulatione audiendi confessionem* (2). Ita ex Bullis Greg. XV *Universi*, et Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae.*

Q. *Quaenam sunt poenae contra sollicitantes?*

R. Poena denunciationis, et si sollicitatio facta est in actu, vel occasione, vel praetextu confessionis, adest etiam poena perpetuae inhabilitatis ad sacrificium missae, sed ferendae sententiae (3).

---

(1) Haec fieri potest verbis, signis, factis, aut inhonestis tractatibus *temerario ausu* habitis.

(2) 1.m habetur, quando sollicitatio fit post inceptam confessionem, etsi non perfectam. 2.m et 3.m quando confessio et sollicitatio faciunt unum moraliter, ita ut inter ipsas nulla diversa actio intercedat. 4.m quando sollicitatio fit ex petita vel audita confessione: *ex petita*, nempe, si fiat sollicitatio, dum poenitens aut petit confiteri *statim*, aut *in confessionario* petit v. g. confiteri *cras: ex audita*, nempe, quando confessarius, cognita in confessione poenitentis fragilitate, eum postea sollicitat; dummodo ex indiciis moraliter certis hoc desumatur. 5.m quando confessarius aliquam personam ad fictam confessionem invitat et sollicitat. 6.m quando sollicitatio fit simulando confessionem sive in confessionali, sive in loco destinato vel electo, ita ut adstantes putent ibidem peragi confessionem. Vide dec. S. I. 11. Feb. 1661, n. 4, et 13. ut in fine hujus libelli.

(3) Sacerdos sollicitans peccat contra castitatem, et contra charitatem ratione scandali, et committit duo sacrilegia, unum ob injuriam illatam sacramento, alterum ratione sui voti.

Adverte: I. quod denunciatio facienda est inquisitoribus, vel Episcopo loci sive delicti, sive denuntiantis, sive delinquentis. II. quod in has poenas incurrit quilibet sacerdos, etiam non confessarius sollicitans in praedictis casibus quamcunque personam, sive sit mas sive foemina, etsi prae simplicitate vel ignorantia non intellexerit sollicitationem. III. quod si confessarius in confessione dat poenitenti char-

Q. *A quonam facienda est denuntiatio?*

R. Ab ipso sollicitato (1), et a quocunque alio, qui

---

tam postea legendam, in qua sollicitat; vel aliud medium apponat, quo postea sollicitat, puta si domum invitet, aut domi suae poenitentem expectare se jubeat, et domi sollicitet, est etiam denuntiandus. IV. quod onus denuntiationis non cessat per confessionem factam eidem confessario sollicitanti, et oppositum est ab Alex. VII. damnatum. V. quod confessarius non monens poenitentem de denuntiatione facienda peccat, et est ipse monendus; quod si malitiose deonerat, est denuntiandus uti suspectus de haeresi VI. quod si sollicitans sit Episcopus, est etiam denuntiandus, sed apud Pontificem. VII. quod accusans confessarium de falso crimine sollicitationis, et procurans ut ab aliis id fiat, incidit in casum Pontifici reservatum sine censura ex cit. Bul. Ben. XIV.

In D. N. vero Confessarii sollicitantes, si sint saeculares incidunt in excom. Ord. reserv.; si regulares, in suspensionem ab audiendis confessionibus Ord. quoque, sed *specialiter* reser: excepto tamen loco destinato vel electo ad confessionem, pro quo non adsunt istae poenae. C. VII. Heic nota I. quod in omnibus casibus, in quibus sollicitans est denuntiandus de jure communi, obnoxius est etiam istis poenis, modo sit confessarius, licet Parochus, et excepto loco destinato etc. ut supra: 2. quod praedicta suspensio est vera censura; nam ex bul. Greg. XV. Ordinarii locorum quoad hoc crimen sunt delegati Apostolici; unde Regulares sollicitantes nullibi, nec etiam in propria Religione pro regularibus ipsius Ordinis, possunt confessiones excipere, nisi prius absolvantur. At ita suspensi, si absolvant, peccant quidem graviter: absolutio tamen est valida, nisi sint sic suspensi nominatim denuntiati.

Insuper in ead. dioec. Confessarii omnes, qui extra capita sollicitationis inhoneste agunt cum persona sibi frequenter confitente, incidunt in casum reser. absque censura. C. 3. Ad quod incurrendum requiritur, ut impudice tractans sit confessarius, etsi curatus, et ut persona sollicitata, seu impudice tractata sit ei frequenter confessa, puta semel singulis mensibus, aut ter tribus diebus continuis cum absolutionis receptione. Quare simplex sacerdos, qui frequenter excipit alicujus confessiones in articulo mortis, si hunc sollicitet durante tali articulo, in casum incidit; quia illo tempore verus confessarius est illius personae. An vero incidat simplex sacerdos sollicitans, qui titulo colorato et errore communi pro Confessario se habet, quaestio est.

(1) Etiamsi consenserit. At non tenetur suum consensum manife-

certo scit a fide dignis sollicitationem factam, etiamsi sciat sub secreto (1), vel juramento non revelandi.

Q. *In quamnam poenam incidit sollicitatus* (2) *qui non vult denuntiare?*

R. Si intra mensem a die scientiae suae obligationis non vult denuntiare, incidit in excom. nem. reser. Cas. IV. C. *Ap. S.* et sacramentaliter absolvi nequit uti indispositus; quomodo enim recte se poenitet, qui Ecclesiae mandato obtemperare recusat? Excipe, si excusetur ob rationabilem causam, et serio promittat se, quamprimum poterit, denuntiaturum.

Q. *Quaenam causae excusant ab onere denuntiationis?*

R. Mors sollicitantis, et impotentia physica vel moralis: 1.ª est perpetua; 2.ª temporanea (3).

Q. *Estne denuntiandus laicus, vel clericus sollicitans, simulans se confessarium?*

R. Maxime, sed uti suspectus de haeresi ex constit. Gregorii XIII.

Q. *Estne denuntiandus confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos?*

R. Maxime; ex cit. dec. 1661. n. 3. cum in hoc non detur parvitas materiae.

Q. *Sacerdos si est interpres confessionis estne denuntiandus, si sollicitat?*

---

stare, nec potest super hoc ab Episcopo interrogari ex dec. S. I. 27 sept. 1624.

(1) Excipitur tamen ille, cui sollicitatio manifestata sit causa petendi consilium.

(2) Excommunicatio enim, quae incurritur non denuntiando, est tantum contra sollicitatum. Scientes vero si non denuntiant, peccant tantum, nec absolvendi ut supra.

(3) Qui vero nunquam potest per se denuntiare, per alium vel per epistolam adeat Ordinarium vel S. Sedem, et deinde juxta ejus mandata se gerat. Ac si nullo impedimento detentus denuntiationem omnino renuat, laudandus est confessarius, qui Ordinarium vel S. Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Ex instructione C. S. I. 20 Feb. 1867.

R. Minime: quia se habet potius ut poenitentem, quam ut confessarium.

Q. *Sacerdos non sollicitans, sed sollicitatus a poenitente, et consentiens estne denuntiandus?*

R. Maxime, quamvis statim desistens de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differens, et non praebens absolutionem poenitenti. Imo etiamsi metu inductus sollicitationi consentiat. Ex cit. dec. n. 2. 9.

Q. *Estne denuntiandus confessarius, si sollicitat non pro se, sed pro alio; vel si confessarius est emendatus; vel si longum tempus a sollicitatione lapsum sit; vel si sollicitatio probari non possit; vel si dubitatur, utrum sollicitatio facta sit ab ipso aut ab alio confessario?*

R. Maxime, uti patet ex Bullis et ex DD. sententia.

Q. *Quid si confessarius absolvat poenitentem complicem in re turpi?* (1)

R. Absolutio est nulla, et confessarius incidit in excommunicationem Papae reservatam spec. modo juxta Bul. Ben. XIV. *Sacramentum poenitentiae*, et Pii IX. *Apost. Sedis* cas. X. (2). Porro confessarius sic absolvens si aliquo modo doceat optimo jure id fieri posse, est etiam denuntiandus uti suspectus de haeresi (3).

---

(1) Nomine rei turpis heic intelligitur omne peccatum externum, grave, certum, et formale, ita ut complicitas sit mortalis et externata ex utraque parte contra VI. praeceptum. V. Scavini op. mor.

(2) Hoc intelligendum est etiam de peccatis commissis extra casus sollicitationis, et de peccatis commissis, quo tempore confessarius erat laicus. Sed si ignoranter absolvit, vel si audit tantum nec absolvit, non incidit; nam in Bullis Ben. XIV. requiritur, ut *audeat* sive *praesumat* suum complicem absolvere.

(3) Haec denuntiatio facienda est a quocunque id sciat, non vero a poenitente, qui non tenetur prodere seipsum.

In D. N. Confessarii omnes, attentantes nulliter absolvere suos complices in re turpi, incidunt in suspens. ab audiendis confessionibus Ord. *specialiter* reser: et, si sint saeculares, incidunt etiam in excom. eidem Ord. reservatam. C. VIII. Ad has poenas incurrendas, requiritur, ut a confessario detur *absolutio nulla*; ita ut si confessarius in articulo mortis absolvat suum complicem absque scandalo vel in-

Q. *Adsunt casus, in quibus absolutio est valida, ideoque non incurritur in poenas?*

R. Maxime: 1.° quando peccatum turpe factum est materia voluntaria, quia jam rite absolutum ab alio confessario (1). 2.° In articulo aut periculo mortis, quando tamen non adest alius confessarius aut simplex sacerdos: vel quando, si adsit, timetur grave scandalum aut infamia non absolvendo; secus absolvens peccat, et incidit in poenas; sed absolutio est valida, ne salus aeterna infirmi periclitetur, uti ex alia Bul. Ben. XIV. *Apostolici muneris.*

Mantissae loco pauca de peccatis capitalibus.

Superbia est appetitus inordinatus propriae excellentiae. Potest esse *perfecta* et *imperfecta*. Si quis ita excellere appetat, ut Deo, superioribus, vel eorum legibus subjici nolit, dicitur perfecta, et est semper grave peccatum. Si vero quis sine Dei et aliorum despectu sese magnificat et extollit plus aequo, solet esse veniale, et dicitur imperfecta. Filiae superbiae sunt praesumptio, ambitio, et vana gloria. Praesumptio est inordinatus appetitus aggrediendi aliquid supra vires: ambitio est inordinatus appetitus dignitatis, et honoris non debiti: vanagloria est cupiditas gloriae inanis. Sunt peccata gravia vel levia, prout

---

famia, incidit utique in poenas de jure comm. non vero in istas nostras municipales; absolutio enim est valida. Nota vero, quod haec suspensio quoad regulares non videtur esse censura privans eos ab audiendis ubicunque confessionibus, sed tantum privatio jurisdictionis ab Ordinario Nostro ipsis concessae; quia in hoc Ordinarius non procedit tamquam delegatus Apostolicus, uti dictum est in casu sollicitationis.

(1) At si poenitens hoc unum peccatum confessus fuerit, etiam irrita est absolutio; quia, licet voluntaria, non est tamen apta materia defecta jurisdictionis in ministro: sed poena cessare videtur, quia huc non pertinet. Verum si qua reverentia manet Sacramento, si quis pudor ministro, is vix excusabitur a letali, aut ne vix quidem. D' Annibali.

continent gravem vel levem deordinationem contra Deum vel proximum.

Avaritia est inordinatus appetitus divitiarum. Avaritiae filiae sunt obduratio cordis, fallacia, fraus, dolus, proditio fidei datae, vel debitae alicui. Si graviter laeditur justitia vel charitas grave peccatum est.

Luxuria est appetitus inordinatus venereorum. Huius filiae sunt caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio operando sine consilio, et alia mala ac peccata, in quae hoc grave vitium inducit.

Ira est inordinatus appetitus vindictae (1). Hujus filiae sunt indignatio, blasphemia, contumelia, imprecatio, et alia hujusmodi.

Gula est inordinatus appetitus cibi vel potus. Si quis ob gulam notabiliter violet abstinentias ab Ecclesia praeceptas, vel bibat ad perfectam ebrietatem, graviter semper peccat. Hujus filiae sunt hebetudo mentis, inepta laetitia, multiloquium.

Invidia est inordinata tristitia de bono alterius. Hinc si tristaris ex bono alterius, in quantum ille est indignus, non est invidia, sed indignatio, quae per se non est peccatum. Si tristaris, quia ex bono alterius times tibi aliquod malum, est timor, qui per se non est peccatum, dummodo non sit inordinatus. Si tristaris, quia tibi desit bonum, quod habet, ita tamen, quod illud alteri non discupias, non est invidia, sed aemulatio. Filiae invidiae sunt detractio, susurratio, odium.

Acedia ex D. Thoma dupliciter usurpari potest: 1. generaliter pro omni animi remissione in exercitio virtutum: 2. pro taedio de divina amicitia, eo quod servari debeat per laboriosa exercitia virtutum, et sic illam non curet.

---

(1) Haec juxta D. Greg. M. triplicis generis est: *Ira sine voce, et Ira cum voce, et Ira cum verbo expresso*: quae si est contra vitium aut vitiosum, peccatum non est, dicente Aug: *Irasci fratri, ut corrigatur, nullus sanae mentis reprehendet; huiusmodi enim motus de amore boni, et de sancta charitate venientes vitia dicenda non sunt.* De Civ. Dei l. XIV. c. 5.

Hoc secundo sensu semper est grave peccatum. Acediae filiae sunt pusillanimitas, desperatio de salute aeterna, torpor, etc.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Virtus in genere sumpta definiri potest cum D. Th. 1. 2. q. 55. art. 4. *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, et quam Deus in nobis, sine nobis operatur.* Dicitur 1.° *qua nullus male utitur*, quia virtus differt ab aliis qualitatibus v. g. arte, scientia, etc. de quibus potest homo uti bene vel male. 2.° *quam Deus in nobis, sine nobis operatur*, quia virtutes Christianorum, quae sunt verae virtutes directae ad assequendam vitam aeternam, et de quibus hic agimus, differunt a virtutibus paganorum, quae ex eodem Doctore comprehendi possunt tantum in prima parte definitionis.

Virtutes si perficiunt mentem, seu animam in ordine ad ultimum finem, dicuntur *theologicae*, et sunt fides, spes, charitas. Si perficiunt mentem in ordine ad media directa ad ultimum finem assequendum, vocantur *morales*, et sunt prudentia, fortitudo, justitia, et temperantia: quae appellantur etiam *cardinales*, quia ad ipsas tanquam cardines aliae revocantur (1).

Virtutes theologicae sunt supra naturam hominis, et a Deo sunt nobis infusae. Virtutes morales secundum earum objectum non sunt supra naturam hominis; earum objectum enim sunt mores humani per virtutum actum perficiendi, qui humana ratione comprehendi possunt: sed si non sunt supernaturales quod ad objectum sunt supernaturales quod ad modum, quo exerceri debent, ut me-

(1) Sic ex. gr. diligentia, constantia, etc. revocantur ad virtutem cardinalem prudentiae: magnanimitas, magnificentia, patientia, perseverantia revocantur ad virtutem fortitudinis: oratio, devotio, gratitudo, obedientia revocantur ad virtutem justitiae: sobrietas, modestia revocantur ad virtutem temperantiae. Consule. D. Th.

reantur vitam aeternam; suam perfectionem enim accipiunt virtutes ex charitate, quae a Deo est nobis infusa.

Hinc virtutes morales, quando quis eas habeat in gradu perfecto, sunt semper omnes inter se connexae; ita ut qui una caret, nullam perfecte habeat. D. Th. 1, 2, q. 65, art. 1. Secus, quando non sunt perfectae.

Ex dictis etiam patet, quod in virtutibus theologicis, quia earum objectum immediatum est Deus, non potest dari vitium per excessum. In virtutibus autem moralibus potest dari vitium non solum per defectum, sed etiam per excessum; et ideo de his dicitur, quod in medio consistant.

Cum de principalioribus virtutibus moralibus, agendum sit in sequentibus tract. De Religione, de Contractibus, de Justitia, de Restitutione, et passim in aliis alia delibanda, nunc de Virtibus Theologicis, et primo.

De fide.

Q. *Quid est fides?*

R. Est virtus divinitus infusa, qua veritates a Deo revelatas, et ab Ecclesia propositas firmiter credimus ob auctoritatem Dei revelantis (1).

Q. *Quotuplex est fides?*

R. Habitualis, et actualis; explicita, et implicita. 1.ª est ipsa virtus fidei animae permanenter inhaerens, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum omnibus a Deo revelatis; — 2.ª est ipse actus, seu exercitium fidei, quo nempe firmiter assentitur veritatibus a Deo revelatis; — 3.ª est quando aliqua veritas expresse creditur, puta *Deus est unus et trinus;*—4.ª quando creditur aliqua veritas generaliter contenta in aliis veritatibus explicitis, uti *Credo quod credit Ecclesia.*

---

(1) Ex definitione patet, quod obiectum materiale fidei sunt veritates a Deo revelatae, objectum formale est infallibilis auctoritas Dei. Patet etiam, quod fidei certitudo non potest stare cum opinione probabili de ipsa fide, uti volebat propositio damnata ab Innoc. XI.

Q. *Quaenam fides est necessaria, habitualis an actualis?*

R. Omnibus etiam infantibus necessaria est necessitate medii fides habitualis. Adultis vero necessaria est etiam fides actualis, quae circa aliquas veritates debet necessitate medii esse explicita, circa alias necessitate praecepti (1).

Q. *Quaenam scire debemus necessitate medii, quaenam necessitate praecepti?*

R. Necessitate medii semper necessarium fuit credere, quod Deus est, et inquirentibus se remunerator sit. Post promulgationem Evangelii credere debemus etiam mysterium Ss. Trinitatis, et mysterium Incarnationis, Mortis, et Resurrectionis D. N. J. C. De necessitate praecepti tenemur credere, et scire (crasso saltem modo, et quod ad substantiam) Symbolum Apostolorum; Orationem Dominicam; Praecepta Decalogi et Ecclesiae; Sacramenta, maxime quae suscipiuntur; et ex pia consuetudine Salutationem Angelicam (2).

---

(1) Illud dicitur necessarium *necessitate medii*, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, finis ultimus obtineri nequit, scilicet aeterna salus: *necessitate praecepti* vero, sine quo inculpabiliter omisso finis ultimus obtineri potest; quippe quod a solo superiore praeceptum.

(2) Unde qui ignorat scienda de necessitate medii peccat graviter semper ac advertit suam obligationem, et instrui debet ante absolutionem; alias illicite et invalide absolveretur: qui vero ignorat scienda de necessitate praecepti, nisi impotentia excuset, etiam peccat graviter, sed potest absolvi, si de hoc doleat cum proposito discendi. Excipe si prius jam admonitus addiscere neglexerit. Quod si quis adeo sit rudi intellectu, ut mysteria fidei nullo modo percipere possit, hic ex D. Ligorio quoad hoc comparandus est cum infantibus et fatuis: quare bene potest absolvi in necessitate, sed sub conditione.

Poenitentem vero ignorantem, si urgeat absolutionis necessitas, Confessarius sic interrogando adjuvet: *Credisne Deum esse unum, tres esse divinas personas, nempe Patrem et Filium et Spiritum S.?* et poenitens respondeat: *Credo*; et sic de aliis mysteriis, quae necessitate medii sunt credenda. Dein: *Credis quidquid credit S. Rom. Ecclesia, et vis mori in ipsa? Credo—Doles te ignarum esse, et negligentem fuisse,* etc.? *Doleo—Proponis firmiter quod nactus opportunam*

Q. *Praeceptum credendi est affirmativum, an negativum?*

R. Est negativum simul, et affirmativum. Est negativum, et ideo tenemur ad nunquam dubitandum de veritatibus revelatis. Est affirmativum, et ideo tenemur elicere actum fidei.

Q. *Quando tenemur elicere actum fidei?*

R. Aliquando per se, aliquando per accidens. Tenemur per se perveniendo ad usum rationis; in periculo mortis; quando urget gravis tentatio contra fidem, quae alias superari non possit; et saepe in vita (1). Tenemur per accidens quando, urgente aliqua tentatione contra aliam virtutem, eam expellere censemus per actum fidei; et quando elicimus actum spei vel charitatis, tunc enim virtualiter elicimus etiam actum fidei.

Q. *Tenemur etiam exterius fidem profiteri?*

R. Maxime: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. X. 10.

Q. *Qui est de fide interrogatus, si tacet, peccat?*

R. Si est interrogatus a publica potestate, et tacet, peccat; et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Si est interrogatus a persona privata, et tacet, non peccat; dummodo non adsit scandalum proximi.

Q. *Liceetne uti vestibus infidelium ad occultandam fidem?*

R. Si vestes sunt protestativae, non licet; secus licet.

Q. *Peccatne in fidem catholicus, qui matrimonium contrahit coram magistratu civili, aut ministro haeretico?*

R. Qui matrimonium contrahit coram magistratu civili non peccat, modo antea contraxit vel postea contrahere intendit etiam coram Ecclesia; quia haec actio instituta

---

occasionem curabis te instrui, et velis discere quae sunt ad salutem necessaria? Utique. Postremo excitet eum ad dolorem peccatorum cum proposito non peccandi de cetero, et absolvat. Scav. edit. 1874.

(1) Saepe in vita aliqui intelligunt semel in anno: alii melius intelligunt in festis principalibus: nunquam tamen intelligendum est semel in vita, uti damnatum est ab Innoc. XI. Adverte, quod huic praecepto fit satis audiendo Missam, adorando Crucifixum, formando Crucem, orando, etc. quamvis haec non fiant reflexe ex motivo fidei. Lig.

est ad finem politicum. Coram ministro haeretico distinguo : vel ipse assistit uti minister religionis, et nunquam licet ; esset enim approbatio illius religionis: vel assistit uti minister politicus, et licet ex exposita ratione.

De vitiis fidei oppositis, et primo de infidelitate.

Q. *Quid est infidelitas ?*

R. Est carentia fidei. Potest esse triplex: negativa, privativa, et contraria. Prima est carentia fidei in eo, qui nunquam de fide audivit ; secunda est carentia fidei in eo, qui de fide audivit, et non credidit; tertia est carentia fidei in eo, qui de fide audivit, non credit, et contradicit. Prima non est peccatum, uti certum est ex prop. dam. ab Urbano VIII. Secunda, et tertia sunt grave peccatum (1).

De haeresi.

Q. *Quid haeresis ?*

R. Est error intellectus contra fidem cum pertinacia voluntatis in eo, qui fidem recepit.

Q. *Quotuplex est ?*

R. Materialis, et est quando quis ob ignorantiam credit aliquid, vel aliquid ob inadvertentiam profert contra fidem. Formalis, et est error voluntarius, et pertinax (2).

---

(1) Species infidelitatis contrariae ex D. Th. sunt tres, nempe *Paganismus*, qui fidem nondum suscepit: *Judaismus*, qui fidem in figura tantum tenet: et *Haeresis*, quae fidei in re susceptae contradicit; ad quam reducitur apostasia a fide et schisma non purum.

(2) Ad constituendam haeresim formalem tria requiruntur: 1. ut error in intellectu sit contra aliquam fidei veritatem ; 2. ut adsit pertinacia in voluntate : haec pertinacia non habetur solum quando quis mordicus tuetur suum errorem, sed etiam quando quis scit, et advertit aliquod fide certum teneri ab Ecclesia , et ipse oppositum deliberate tenet , vel de eo deliberate dubitat ; dubius enim in fide infidelis est; hinc error contra fidem ortus ex ignorantia etiam culpabili non est haeresis , quia non adest pertinacia ; 3. requiritur , ut persona errans in fide sit fidelis.

Formalis potest esse interna, si mente tantum retinetur; et externa, si exterius manifestatur: externa, potest esse occulta, si externatur, nemine audiente; et manifesta, si coram aliis audientibus.

Q. *Quaenam sunt poenae contra haereticos?*

R. Haeretici materiales in nullam poenam incidunt, quia non adest culpa. Haeretici formales, sed interni, nec etiam incidunt in poenas, quia Ecclesia non judicat de internis judicio poenali. Haeretici formales externi sive sint occulti, sive manifesti incidunt: 1. in excomm. Papae reservatam spec. mo. (1); 2. in inhabilitatem ad beneficia, et officia ecclesiastica; 3. in privationem beneficiorum prius rite obtentorum; 4. in privationem sepulturae ecclesiasticae; 5. in infamiam, si sint notorii; 6. in irregularitatem; 7. et in poenam denuntiationis (2).

Q. *Quinam tenentur ad hanc denuntiationem?*

R. Omnes (sub culpa tantum) etiamsi delictum sciant sub juramento, et secreto non manifestandi. At qui nolunt denuntiare intra mensem a die scientiae suae obligationis occultos coryphaeos ac duces sectae Massonicae, aut Carbonariae, aliarumve eiusdem generis sectarum, inci-

---

(1) In excomm. hanc incidunt etiam fautores, et receptatores haereticorum, illorum defensores, eisque credentes. Const. *Ap. Sedis* Cas. I. In excom. vero Papae simpliciter reservatam incidunt docentes, vel defendentes propositiones a S. Sede sub censura latae sententiae damnatas; et Massonici; Carbonarii, similesque sectarii; nec non eorum fautores. Cas. I. IV. Haereticus non est excommunicatus vitandus, nisi sit nominatim denuntiatus.

(2) Nota quod, ut haeretici formales externi in dictas poenas incidant, tria requiruntur: 1.° ut haeresis sit externata sufficientibus verbis vel signis; 2.° ut actio, per quam externatur haeresis, sit graviter mala; 3.° ut fiat causa profitendi errorem: alias a quocunque confessario absolvi possunt. Denuntiatio vero facienda est inquisitoribus vel Ordinario loci, nulla praemissa correctione fraterna, et fieri debet etiamsi delictum probari non possit, uti patet ex propos. damnata ab Alex. VII. Item si haereticus jam ab alio sit denuntiatus, vel mortuus, vel emendatus ob bonum commune spirituale.

dunt in excom. Papae reservatam ex Bul. Pii IX *Ap. S.* Cas. IV. *Donec non denuntiaverint.*

Q. *Quinam dicuntur suspecti de haeresi?*

R. Qui contrahunt alterum matrimonium, vivente conjuge; clerici in sacris, vel religiosi professi matrimonium contrahentes; non sacerdotes missam celebrantes, vel confessiones audientes; abutentes in superstitionibus Hostia consecrata, vel Oleo Sancto; defendentes propositiones ab Ecclesia damnatas; sectis clandestinis nomen dantes; et alii, qui dent fundatam suspicionem de sua fide. Isti sunt etiam denuntiandi, sed non cum tanto rigore. (1).

---

(1) Denuntiatio cessat 1.° quandiu quis eam per se facere nequit, vel quin seipsum prodat : 2.° quando nulla spes punitionis elucet, nam ad opus inutile nemo tenetur : at hoc non currit si agitur de Ecclesiasticis, de dogmatizantibus, et de sectarum ducibus ac coryphaeis. Quoad vero suspectos de haeresi cessat etiam denuntiatio pro illis qui denuntiare nequeunt sine gravi incommodo, uti ex S.I. 22. jan. 1727; et pro conjunctis usque ad 4. gradum, modo periculum absit damni communis. Lig. IV. 250.

In D. N. Accedentes ad coetus haereticorum, dum conciones, catechismi, aut eorum ritus exercentur, quoties hujusmodi exercitiis quovis praetextu et occasione, etiam simplicis curiositatis, assistunt, incidunt in excom. Ord. reser. C. I.

Nomine vero coetus venit unio, seu coadunatio plurium haereticorum, h. e. saltem trium. Porro ad incurrendum in hanc censuram requiritur, ut in coetu haereticorum conciones, catechismi, aut eorum ritus, etsi non sint expresse ab Ecclesia damnati, exerceantur; et ut fidelis hujusmodi exercitiis *formaliter* assistat. Unde si ritus sunt omnino catholici, non incidit qui assistit. Si quis vero ad coetum haereticorum accedat, sed postea non assistit; vel assistat *materialiter* tantum, quia non intelligit, nec etiam incidit in hanc censuram, sed in aliam nemini reser. in corpore Synodi, part. I. cap. I. de Fide. E contra qui non accedit, sed assistit tantum; puta si e domo sua propinqua, vel in ipsa sua domo per accidens haereticam concionem, etc. audiat, in hanc censuram utique incurrit; quia semper periculo subversionis se exponit. Excipe qui ritibus haereticorum intersunt ob aliquam rationabilem causam, puta nuptiis, funeribus ad civilem honorem praestandum, vel ratione officii, uti Notarius, Officialis civilis, etc. dummodo istiusmodi ritibus non communicent, absit scandalum, et subversionis periculum.

De apostasia, et schismate.

Q. *Quotuplex est apostasia?*

R. Triplex: *a fide*, et est recessus totalis a fide; *a religione*, et est criminosus recessus ab ordine religioso cum animo non revertendi; et *ab ordine*, et est quando clericus in sacris constitutus ad statum laicalem se transfert, dimisso habitu clericali.

Q. *In quam poenam incidunt?*

R. Apostatae a fide incidunt in omnes poenas haereticorum. Apostatae a religione nullo sui Ordinis privilegio juvantur, atque subjiciuntur aliis poenis juxta peculiares singulorum Ordinum constitutiones. At religiosi ejecti extra religionem degentes incurrunt ipso facto suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum Pontifici reservatam. Cas. V. Apostatae demum ab ordine sacro incidunt in infamiam; et si non resipiscant, amittunt privilegium clericale, et sunt deponendi.

Q. *Quid et quotuplex est schisma?*

R. Schisma est separatio ab unitate Ecclesiae. Si fit sine aliquo errore contra fidem, dicitur schisma purum; si cum aliquo errore contra fidem, dicitur non purum.

Q. *In quam poenam incidunt schismatici?*

R. Schimatici non puri, et eorum receptatores incidunt in easdem poenas haereticorum. Schismatici puri, et ii qui a Romani Pontificis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt incidunt in excom. spec. mo. Pontifici reser. Cas. III (1). In eandem excommunicationem incidunt quoque appellantes a Papa ad futurum Concilium, omnesque cooperantes. Cas. IV. Universitates vero, Collegia, Capitula, aliaeque communitates similiter appellantes incurrunt ipso jure interdictum R. P. spec. mo. reser. Cas. I. *Ap. S.*

Q. *Sub qua poena prohibetur dare nomen sectis?*

R. Ex Const. *Ap. S.* vel loquimur de sectis haeretico-

(1) Insuper schismatici puri de jur. com. incurrunt etiam inhabilitatem ab beneficia ecclesiastica, et irregularitatem si sint notorii.

rum aut apostatarum a fide, et prohibetur sub excom. speciali modo Pp. reservata, aliisque poenis haereticorum. Cas. I. Vel loquimur de sectis, quae contra Ecclesiam aut legitimas potestates sive palam, sive occulte machinantur, et prohibetur sub excom. simpliciter Pp. reser. Cas. IV. (1)

De lectione librorum prohibitorum.

Q. *Quotuplicis generis sunt libri prohibiti?*

R. Post Constit. *Apost. Sedis* sunt duplicis generis: primi prohibentur sub culpa et excom. Papae reser. spec. mo: tales sunt tum libri apostatarum a fide et haereticorum haeresim propugnantes, cum libri per Apostolicas litteras nominatim prohibiti, idest proprio titulo expressi (2). Secundi prohibentur sub culpa tantum: tales sunt

(1) Ad primam classem pertinent omnes sectae protestanticae, lutheranae, etc. nec non illorum, qui vulgo dicuntur: *liberi pensatori, vecchi cattolici*, ecc. sicut etiam: *la società cattolica italiana per la rivendicazione de' dritti spettanti al popolo cristiano* ex decr. S. P. 4. aug. 1876.

Ad alteram omnes sectae Massonicae, uti secta Fenianorum, Mazziniana, et aliae quae vocitantur: *I carbonari*, *gl' Illuminati*, *la Società emancipatrice*, ecc. Et nota, quod adscripti sectis hujusce 2.ae classis, si nullam haeresim professi sint, vi Bul. Cruciatae a quocunque confessario absolvi possunt, postquam vero a sectis retraxerunt se; libros, statuta, ac manuscripta harum sectarum Ordinario tradiderunt; et complices eidem Ordinario denuntiarunt. Ad quam denuntiationem, si agatur de simplicibus sectariis, tenentur sub culpa tantum utpote de haeresi suspecti; si vero agatur de occultis sectarum ducibus et coryphaeis, sub excom. Pont. simpliciter reser. *donec non denuuntiaverint*, uti dictum est superius.

(2) Adverte 1.° Per apostolicas litteras intelliguntur Brevia, Bullae, Encyclicae, aliaeque, in quibus legitur: *De Apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine*, vel *Apostolica auctoritate*. Ita ex usu. 2.° In eandem excommunicationem incidunt non modo hos libros *scienter* legentes sine auctoritate S. Sedis, sed etiam retinentes, imprimentes, et quomodocunque defendentes. Cas. II. Qui vero libros de rebus sacris (idest S. Scripturas, et earum expositiones) imprimunt vel imprimi faciunt sine Ordinarii approbatione excommunicationi nem.

ceteri libri quavis alia ratione prohibiti, et de quacunque materia tractantes.

Q. *Datur parvitas materiae in lectione horum librorum?*

R. Maxime: quaenam autem dici debeat materia parva, discrepant DD. Verum etiam pauci versiculi possunt constituere materiam gravem, si totum prohibitum contineant: secus legere unam aut alteram paginam erit veniale. Item peccatum leve erit librum vetitum retinere uno alterove die, aut longiori tempore expectantes opportunitatem tradendi Superiori vel alii licentiam habenti; ac proinde non incurritur censura. Lig.

Q. *Qui tradit alteri librum legendum, ut ipse audiat, incidit in poenas?*

R. Maxime, quicquid dicant alii; qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur. Minime vero si non inducit alterum ad legendum, sed audit tantum: quia censura est contra legentem.

De Spe.

Q. *Quid est spes?*

R. Est virtus supernaturalis, qua certa cum fiducia aeternam beatitudinem expectamus Dei auxilio comparandam (1). Est autem duplex: habitualis et actualis, scilicet ipsa virtus infusa, et actus quo speramus.

---

reser. obnoxii sunt ex Trid. At legere Bibliorum versiones in lingua vulgari sine approbatione, aut sine adnotationibus catholicis est tantummodo graviter illicitum. Dec. S. I. 12. Jun. 1757. 3.° Quicquid dictum est de libris typis impressis, ex D. Lig. videtur dicendum etiam de manuscriptis: non quidem juxta communem sententiam de foliis errantibus; nec de ephemeridibus, quae dictim (non quae compactis fasciculis) periodice eduntur, quia sumus in poenis, et vulgo libri non appellantur. Sed utcunque sit, illud prorsus indubitatum est ephemerides, quarum lectio seu fidei seu moribus est periculosa, vel ipsa naturali lege sub gravi vetitas esse.

(1) Objectum materiale spei est ipse Deus, et omnia media, quae

Q. *Quot sunt vitia opposita spei?*

R. Desperatio, et praesumptio. Prima est, quando quis non vult in Deum confidere pro consequenda beatitudine, ac mediis necessariis: secunda, quando quis putat se posse Deum consequi vel sine gratia, vel sine propriis operibus. Una opponitur spei per defectum, altera per excessum. Utraque est grave peccatum in toto genere suo.

De Charitate.

Q. *Quid est charitas?*

R. Est virtus supernaturalis, qua diligimus Deum per se et super omnia, et proximum propter Deum sicut nos ipsos (1). Est habitualis, et actualis; nempe ipsa virtus infusa, et actus quo Deum ac proximum diligimus.

Q. *Quotuplici modo potest Deus amari?*

R. Vel amore summo appretiativo (2), vel amore summo sensibili. Ad satisfaciendum praecepto Deum diligendi sufficit amor appretiative summus.

Q. *Ex praecepto charitatis tenemur omnes nostras actiones ad Deum dirigere?*

R. Maxime: saltem directione virtuali, quando nempe virtute prioris actualis directionis perseverat, vel quando actio per se est ad Deum directa, uti Oratio, Missa, etc.

---

ad Deum assequendum perducunt. Obiectum formale est fidelitas divinae promissionis.

Praeceptum spei est negativum et affirmativum: obligat aliquando per se, aliquando per accidens, uti dictum est de fide.

(1) Haec particula *sicut nos* importat similitudinem, non aequalitatem.

Objectum materiale charitatis primarium est Deus; secundarium nos ipsi, et proximus: obiectum formale est infinita Dei bonitas. Praeceptum charitatis est etiam negativum et affirmativum: obligat aliquando per se, aliquando per accidens, uti supra dictum est.

(2) Amor appretiativus, quo nempe Deus omnibus creaturis praefertur, idem est ac amor intensivus. Perperam igitur aliqui distinguere volunt appretiativum ab intensivo.

Q. *Praeceptum charitatis erga proximum quando obligat ad actum?*

R. Semper ac adest occasio; puta, quando proximus versatur in aliqua necessitate, et nos possumus illum adjuvare, servato ordine charitatis (1).

Q. *Quinam est ordo servandus in charitate?*

R. Servandus est tam ordo circa personas, quam ordo circa res. Circa personas: 1. venit Deus, 2. nos ipsi, 3. proximus: et inter proximos 1. propinqui, 2. extranei. Circa res vero 1. veniunt bona spiritualia animae nostrae, 2. bona spiritualia proximi, 3. bona temporalia nostra, 4. bona temporalia proximi, etc.

Q. *Tenemur cum periculo vitae succurrere proximo in necessitate spirituali?*

R. Si necessitas est extrema, et adest probabilis spes, quod opus nostrum sit proximo profuturum, tenemur: si necessitas est gravis, non tenemur; excipe, si adsit obligatio justitiae, ut in pastoribus animarum.

Q. *Tenemur praecepto charitatis facere eleemosynas?*

R. Maxime; et quidem si proximus est in necessitate gravi vel communi, tenemur de bonis superfluis statui (2).

---

(1) Nomine proximi veniunt omnes, qui aeternae beatitudinis sunt capaces; idest fideles et infideles, amici et inimici, justi et peccatores, nec non animae purgantes. Porro necessitas spiritualis, aut corporalis triplex est: *extrema* scilicet, a qua quis se liberare nequit, ita ut, nisi statim adjuvetur, peribit: *gravis*, a qua quis liberare se potest, sed difficiliter: et *communis*, a qua quis liberare se potest sine gravi incommodo, uti sunt qui in communibus peccandi periculis inveniuntur, qui ostiatim mendicant.

(2) Somniabant aliqui vix dari bona superflua statui etiam in regibus, et hoc damnatum fuit ab Innoc. XI. Dictum est vero *de bonis superfluis*, quia non totum superfluum dandum est, sed communius satis est erogare in pauperes communes duo pro quolibet centenario superfluo; et etiam minus, si divitiae multum excedant. Lig. II. 32. Idem dicitur de Clericis quoad bona *patrimonialia*, quae ex haereditate, donatione, vel industria proveniunt; et *quasi-patrimonialia*, quae habentur per modum stipendii ex sacro ministerio. Nam de bonis *ecclesiasticis*, quae ex beneficio ecclesiastico oriuntur, quidquid superest

Si vero est in necessitate extrema, etiam de bonis superfluis vitae.

Q. *Tenemur ex praecepto charitatis ad correctionem fraternam?*

R. Maxime: dummodo peccatum proximi sit certum, adsit spes probabilis emendationis, non adsit grave incommodum, et concurrant omnes circumstantiae temporis et loci, prout prudentia suggerit.

Q. *Tenemur ex praecepto charitatis diligere inimicos?*

R. Maxime: ideo tenemur non solum eos non odisse (odium enim vitii est secundum charitatem, sed odium personae directe opponitur charitati), sed etiam tenemur exhibere illis signa (communia, non particularia) nostrae dilectionis, et tenemur remittere eis injuriam (1).

Q. *Estne contra charitatem maledictio proximi?*

R. Maxime: et si malum grave proximo imprecatur, vel optatur ex corde deliberato, grave peccatum est; secus leve (2).

---

propriae sustentationi, in pauperes aut alios pios usus erogandum est ex virtute charitatis et religionis: an etiam ex justitia, quaestio est. Unde beneficiatus, si ad usus profanos expendat quinque pro quolibet centenario superfluo, graviter peccat. III. 491.

(1) Non est tamen prohibitum contra inimicos instituere actionem civilem, et etiam criminalem, dummodo fiat ad compensationem damni, vel amore justitiae, quod in praxi valde periculosum est. Signa dilectionis communia sunt illa, quae omnibus praestantur; uti salutantem resalutare, interroganti respondere, in communibus orationibus aut eleemosynis includere, etc: particularia, quae peculiaribus personis dantur; puta prius salutare, visitare, hospitio vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, etc.

Nota vero quod excusatur a culpa, qui non ex odio, sed ex rationabili causa inimicis negat veniam aut signa communia; puta ad eorum emendationem vel correctionem, aut ad aliud grave incommodum sibi praecavendum; modo absit scandalum.

(2) Unde in ira imprecari aliis demonem, grandinem, fulgura, etc. plerumque est veniale, saltem quando dicitur in illos, qui amantur ab irato, ob subitam commotionem ac inadvertentiam, vel defectum seriae voluntatis. Excipe si subditi superioribus, filii parentibus, licet

DE RELIGIONE

Q. *Quid est religio?*

R. Est virtus moralis, qua debitus cultus Deo tribuitur (1).

Q. *Quotuplicis generis sunt actus religionis?*

R. Alii interni, uti e. g. oratio, devotio, etc. alii exteni, uti juramentum, adjuratio, votum, sacrificium, oblatio, laus Dei, etc.

De Juramento.

Q. *Quid est juramentum?*

R. Est invocatio Dei in testimonium alicujus veritatis (2). Haec potest fieri expresse, quando explicitis verbis invocatur Deus; et tacite, quando invocatur aliqua creatura, in qua specialiter elucet aliquod Dei attributum (3).

Q. *Quotuplex est juramentum?*

R. Assertorium, promissorium, execratorium, et com-

---

materialiter tantum, sic maledicant; praesertim in faciem, quia grave est contra debitam reverentiam. Ligor.

(1) Dicitur virtus moralis, quia non habet Deum immediate pro objecto, sed ejus cultum; et in hoc differt a virtutibus theologicis, quae Deum immediate respiciunt.

(2) Juramentum in hoc differt ab adjuratione: in juramento Deus invocatur uti testis: in adjuratione Deus invocatur uti obiectum amoris, vel timoris, ut illud Apostoli: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola haec.* I. Thess. V. 27.

(3) Hinc si quis jurat per animam, per coelum, per terram, per Sanctos, etc, est juramentum. Si vero jurat per aliquam creaturam, in qua non elucet specialiter aliquod Dei attributum, et addit nomen Dei, uti *per hanc aquam Dei*, est juramentum; secus non. Dicere tantum *juro*, vel *juro in mea conscientia* per se non est juramentum, quia nulla habetur Dei invocatio neque expressa, neque tacita. Juramentum vero fieri potest mente, ore, nutu, et facto, uti manus elevatione; tactu pectoris, Crucis, Evangelii, etc.

minatorium, prout adnectitur assertioni, promissioni, imprecationi, et minis.

Q. *Est licitum jurare?*

R. Maxime: dummodo adsint istae conditiones, nempe, veritas, judicium, et justitia juxta illud Jeremiae cap. IV. *Jurabis: Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia.*

Q. *Jurare sine veritate estne semper peccatum grave?*

R. Maxime: et oppositum est damn. ab Innoc. XI; imo qui iurat verum putans esse falsum, etiam graviter peccat (1).

Q. *Estne licitum jurare cum restrictione mentali?*

R. Cum restrictione pure mentali nunquam, quia est merum mendacium. Cum restrictione mixte mentali, distinguo: si adest obligatio manifestandi veritatem, non licet: secus licet (2).

Q. *Estne licitum jurare sine animo jurandi?*

R. Minime, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Taliter vero jurans, si jurat verum, peccat leviter; si falsum, graviter (3).

Q. *Quodnam dicitur juramentum incautum?*

R. Dicitur illud, quod fit sine debita advertentia ad cognoscendum, utrum sit verum an falsum, quod juratur. Est peccatum grave, si negligentia est gravis, et aliqui Doctores huiusmodi juramentum vocant perjurium (4).

---

(1) Adverte, quod in juramento promisssorio defectu veritatis non datur parvitas materiae in intentione; in executione vero datur, e. g. qui jurat dare centum, si in jurando habeat intentionem reddere nonagintanovem, peccat graviter; si vero habeat intentionem reddere centum, sed postea solvit nonagintanovem, peccat leviter.

(2) Si quis manifestando proprium delictum judici saeculari gravissimum malum timeret, adsunt Doctores, qui docent, posse uti restrictione mixte mentali. Vide Ligor. lib. III. n. 156.

(3) Adverte, quod juramentum factum sine animo jurandi nullam parit obligationem, quia non adest juramentum; sine animo se obligandi, quaestio; sine animo exequendi, obligat quidem, nam intentio executionis est accessoria obligationi.

(4) Si quis habet consuetudinem mentiendi, et jurandi sive conjun-

Q. *Defectus judicii in juramento estne peccatum?*

R. Maxime, sed leve (1); quia est tantum vana usurpatio nominis Dei.

Q. *Defectus justitiae estne peccatum grave?*

R. Maxime: etiamsi quis jurando promittat se facturum rem leviter malam, quicquid dicant alii (2).

Q. *Juramentum comminatorium estne abligatorium?*

R. Maxime: dummodo poena sit justa, non sit causa majoris mali, et causa punitionis perseveret.

Q. *Quomodo cessat obligatio juramenti?*

R. Mutatione materiae; cessatione causae finalis; condonatione obtenta ab eo, in cujus favorem erat; irritatione facta ab eo, qui habet potestatem dominativam; et dispensatione obtenta ab habente potestatem jurisdictionis in foro externo (3).

De voto.

Q. *Quid est votum?*

R. Est deliberata promissio facta Deo de bono meliori et possibili (4).

---

ctim, sive divisim, regulariter loquendo, peccat graviter ob periculum pejerandi.

(1) Deficit judicium in juramento, quando juratur sine necessitate vel utilitate. Deficit justitia, quando res jurata non sit justa et honesta.

(2) Juramentum semper observandum est ex virtute religionis, dummodo servari potest sine peccato, et sine damno tertii. Hinc juramentum de re mala nunquam servari debet. Imo si quis juret aliquid contra consilia evangelica, non tenetur ad juramentum: si vero volens vel debens nubere promisit alicui cum juramento matrimonium, tenetur.

(3) Adverte, quod juramentum factum in favorem tertii, et ab eodem acceptatum, non potest dispensari a superiore, nisi ob bonum commune, vel in poenam promissarii ob aliquod crimen ab eo commissum, vel ratione injuriae juranti illatae, puta si juramentum sit vi, metu, dolo, vel fraude extortum.

(4) Dicitur 1.° *deliberata promissio*, idest animus se obligandi cum perfecta advertentia et consensu: hinc si quis emittit votum per er-

Q. *Quotuplex est votum?*

R. Reale, personale, et mixtum, prout afficit rem, vel personam, vel utramque. Reservatum, et non reservatum,

---

rorem, vel per dolum circa substantiam, vel circa causam finalem, votum est nullum, quia non est deliberatum; secus si dolus, vel error est circa qualitatem accidentalem, vel circa causam impulsivam: 2.° *facta Deo* sive immediate, sive mediate, nempe, Sanctis relate ad Deum: 3.° *de meliori bono* indicat quod materia voti debet esse melior suo opposito, idest melior eo, quod omittendum est ut votum impleri possit, et hoc tam ex se existimatur quam ex circumstantiis. Hinc si quis emittit votum non vovendi est nullum, quia non est de meliori bono. Si emittit votum non vovendi nisi de licentia confessarii, est validum, quia de meliori bono; verum si postea sine dicta licentia vovet, valide vovet, sed peccat. Si quis vovet aliquid contra consilia evangelica, vel undequaque indifferens, votum est nullum, quia non de meliori bono: 4.° *et possibili*, nam ad impossibile nemo tenetur; hinc si quis emittit votum nunquam peccandi venialiter, si intendit de veniali committendo cum plena deliberatione, valet votum; si etiam de veniali cum imperfecta deliberatione, votum est nullum, quia de re moraliter impossibili. Si votum fiat partim possibile et partim impossibile, videndum: si partes rei votae sunt divisim accipiendae, nempe sine dependentia inter se, votum obligat ad partem possibilem; puta, vovisti jejunare per hebdomadam, si non potes per totam hebdomadam, sed tantum per duos dies, teneris ad duos dies. Si vero partes voti per modum unius sunt promissae, ad nihil teneris; puta, vovisti peregrinari nudis pedibus, si non potes peregrinari, non teneris incedere nudis pedibus. Ex his omnibus collige, quod ad votum, ut obliget, tria requiruntur, nempe: 1. ut promissio sit deliberata; 2. ut sit de bono meliori; 3. ut materia voti sit in potestate voventis. Adverte autem, quod votum in hoc differt a juramento, quia in juramento Deus venit uti testis, ideoqne sufficit, ut sit de re bona, et est strictae interpretationis: in voto Deus venit uti promissarius, ac proinde requiritur, ut sit de bono meliori, et est benignae interpretationis. Insuper propositum et promissio differunt a voto; nam in proposito deest animus se obligandi; in promissione adest animus se obligandi, sed de re licita; et in voto adest etiam animus se obligandi, sed de meliori bono. Demum ad distinguendum in rustico votum a proposito *satius erit* (sic Lig.) *eum interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse an non, si postea non satisfecissel.* In dubio nemo ligandus. Scavini.

prout relaxari potest tantum a Papa, vel etiam ab alio Superiore. Simplex, et solemne (1). Absolutum, et conditionatum. Tandem poenale, quod potest esse simplex et duplex poenale: simplex poenale est, quando quis ad aliquid se obligat, et in casu transgressionis aliquam poenam vovet, puta: non ludam, et si lusero voveo eleemosynam. Duplex poenale est, quando vovet aliquid non facturum, et in casu transgressionis vovet poenam, puta: voveo non ludere, et si lusero voveo eleemosynam.

Q. *Quomodo obligat votum?*

R. Si materia voti est undequaque levis, obligat semper sub levi: si est gravis, obligat sub gravi vel sub levi, prout fuit intentio voventis; excipe vota solemnia, quae obligant semper sub gravi ex institutione Ecclesiae (2).

Q. *Quando obligat votum?*

R. Si tempus fuit praefixum, tempore praefixo: secus quam citius (3).

Q. *Debetne anticipare adimpletionem voti, qui praevidet aliquod impedimentum adfuturum tempore pro adimpletione praefixo?*

R. Si tempus fuit praefixum ad finiendam obligationem (h. e. si opus fuit promissum uti onus illius praefixi temporis), non tenetur, quia votum istud non obligat nisi

---

(1) Vota solemnia sunt tantum illa, quae emittuntur in professione religiosa, et in sacris ordinibus.

(2) Materia voti ex Ben. XIV. reputatur levis, quando aequivalet quinque *Pater, Ave, et Gloria*; dummodo non fit gravis ratione finis, aut circumstantiarum; uti si quis voveret recitare quotidie *5 Ave* per mensem integrum, tanquam onus illius mensis. Materia gravis vero est illa, de qua dari potest praeceptum grave per se, sive ex circumstantiis, quatenus notabiliter conducit ad honorem Dei, vel spiritualem utilitatem voventis; uti votum jejunii, confitendi, Missam audiendi, etc.

(3) Dilatio enim voti sine justa causa, et per tempus longum est peccatum: unde peccat graviter, qui votum in obsequium Dei temporaneum v. g. jejunii, rosarii, Missae transfert ultra duos vel tres annos: aut votum in obsequium perpetuum e. g. ingrediendi religionem transfert ad sex menses; nisi causa rationabilis excuset. Ita Scav.

adveniente tempore: secus tenetur, quia jam a principio contraxit obligationem (1).

Q. *Quando obligat votum sub conditione?*

R. Si conditio est propria, obligat verificata conditione (2). Si est impropria, modo sit vera, obligat a principio.

Q. *Quando obligat votum poenale?*

R. Obligat posito delicto: hinc si quis immemor voti, vel post dispensationem obtentam non servat votum, non tenetur ad poenam.

Q. *Votum poenale obligatne toties ad poenam, quoties habetur transgressio?*

R. Inspicienda est mens voventis, quae est suprema lex voti (3).

Q. *Votum emissum ob pravum finem obligat?*

---

(1) In dubio autem, in votis realibus dies praesumitur appositus tantum ad sollicitandam obligationem, nisi tamen votum habuisset specialem connexionem ad diem: in personalibus ad finiendam. Lig.

Nota, quod verba obligationis, quando non constat de mente voventis, explicanda sunt juxta communem et usitatam acceptionem; sic vovens Rosarium satisfacit recitando tertiam partem, et etiam cum socio instar Officii divini; vovens jejunium per mensem non tenetur in diebus Dominicis jejunare; vovens per mensem audire Sacrum, non tenetur in festis audire duo; vovens jejunare die veneris non tenetur, si ea die venerit Nativitas Dni; vovens jejunare in vigilia alicujus Sancti, si haec in Dominicam incidat, potest juxta morem Ecclesiae jejunium in sabato anticipare; etc.

(2) Ex voto conditionato oritur obligatio expectandi exitum conditionis, et interim non se reddendi impotentem. Hinc si quis vovit ingredi in religionem, si per annum non fornicetur; postea fornicatur ad hoc, ut non teneatur ad votum, peccat contra castitatem et etiam contra religionem, sed non tenetur ad votum. Si quis emittit votum sub conditione dependente ab alterius voluntate, et postea ne teneatur ad votum, impedit conditionem: si hoc facit bonis artibus, non peccat; si vero malis artibus, peccat et non tenetur ad votum secundum aliquos DD. ex Ligorio.

(3) At si votum factum fuerit absque limitatione, et fuerit simplex poenale, vel poena transgressioni imposita extraordinaria sit, communius iste tenetur pro prima vice ex Salmat. Layman, et aliis.

R. Si votum fiat, uti medium ad assequendum pravum finem, rejicitur a Deo, et non obligat; secus obligat (1).

Q. *Obligatio voti transitne ad haeredes?*

R. Si votum est reale, transit; quia afficit bona: si personale, non transit; quia afficit personam et cum ea expirat: si mixtum transit, qua parte est reale, dummodo pars realis sit separabilis (2).

Q. *Quibus ex causis cessat obligatio voti?*

R. Cessante causa finali, mutatione materiae (3), lapsu temporis appositi ad finiendam obligationem, irritatione, dispensatione, et commutatione.

Q. *Quid est irritatio voti?*

R. Est annullatio voti facta ab habente potestatem dominativam.

Q. *Quotuplex est irritatio voti?*

R. Duplex: directa, quando fit ab eo, cui subjecta est voluntas voventis; indirecta, quando fit ab eo, cui subjecta est materia voti.

Q. *Quinam possunt vota irritare?*

R. Summus Pontifex potest directe irritare vota religiosorum; indirecte vota omnium fidelium. Superiores regu-

---

(1) Hinc si quis emittit votum aliquod, ut occidat inimicum in duello, vel ut libere furetur, votum est nullum: si, ne occidatur in duello, vel ne capiatur in furto, est validum. Item nullum est votum, si fiat ob finem omnino indifferentem; uti si quis voveat jejunium ut pareat sumptibus, eleemosynam ne aestimetur avarus: validum, si ob finem impetrandi a Deo bona temporalia, modo sint honesta; puta corporis sanitatem, officium honorificum, utile matrimonium.

(2) Hinc si quis vovit peregrinationem ad Beatam Virginem Lauretanam, ibique calicem offerre, haeres tenetur ad calicem. Adverte, quod ad vota realia haeres non tenetur ex virtute religionis, sed ex virtute justitiae, dummodo tamen vota non excedant vires haereditatis: quare potest hic, solutis debitis justitiae, detrahere suam legitimam; et, quod remanet, impendere ad adimplenda prius vota, et postea legata, quae sunt actus liberalitatis.

(3) Mutatur materia voti, quando evadit vel indifferens, vel illicita, vel impossibilis; aut quando supervenit notabilis circumstantia, quae si fuisset praevisa, votum non fuisset emissum.

larium possunt directe irritare vota professorum, exceptis votis, quae fiunt ex instituto religionis, et voto de strictiori religione amplectenda; indirecte vota novitiorum: idem dic de abbatissa. Pater potest directe irritare vota filiorum impuberum; indirecte vota puberum (1): idem dic de tutore. Vir potest indirecte irritare vota uxoris, et uxor viri, quatenus praejudicativa commercio maritali, vel familiae gubernationi.

Q. *Quaenam differentia inter vota irritata per potestatem dominativam directam, et irritata per potestatem dominativam indirectam?*

R. Prima nunquam reviviscunt: secunda reviviscunt, quando vovens exit a potestate irritantis; quia tunc non tollitur obligatio, sed suspenditur ob alterius praejudicium.

Q. *Quid est dispensatio voti?*

R. Est relaxatio voti facta ab habente potestatem jurisdictionis spiritualis in foro externo sive ordinariam, sive delegatam (2).

Q. *Quaenam sunt vota simplicia Romano Pontifici reservata?*

R. Votum perpetuae castitatis, votum ingrediendi in religionem adprobatam, et votum peregrinationis causa devotionis vel ad limina Apostolornm, vel ad loca Sancta, vel ad Compostellam.

Q. *Ut ista vota sint reservata quid requiritur?*

---

(1) Juxta divum Thomam et alios mater hoc etiam potest, dummodo pater non adprobaverit. Adverte, quod vota emissa in impubertate possunt directe irritari etiam post adeptam pubertatem.

(2) In Ecclesia adest haec potestas, est de fide, et patet ex traditione. Quia tamen pastores Ecclesiae dispensando in votis, dispensant in lege superioris, nempe Dei (vota enim obligant de jure divino), ut valide dispensent, requiritur causa. Haec autem potest esse: 1.° Necessitas spiritualis voventis, e. g. periculum violandi votum ex fragilitate, vel quia votum emissum fuit immature, idest cum nimia facilitate vel ex imperfecta deliberatione. 2.° Major utilitas spiritualis voventis. 3.° Bonum Ecclesiae, Communitatis, familiae, etc. At si causa non videatur omnino sufficiens, tunc admiscenda est aliqua commutatio: quod ceteroqui semper consultum est agere.

R. Pro voto castitatis requiritur, ut sit certum, absolutum, perfectum, perpetuum, liberum, et amore virtutis castitatis emissum (1).

Pro voto religionis, ut sit certum, absolutum, perfectum, perpetuum, et de religione approbata.

Pro voto trium peregrinationum, ut sit certum, absolutum, et causa devotionis factum.

Q. *Quid est commutatio voti?*

R. Est substitutio unius voti pro alio. Potest fieri in melius, in aequale, et minus (2).

Q. *Vota reservata a quo possunt commutari?*

R. Vel a Romano Pontifice, vel ab ipso vovente: sed ab isto nonnisi in votum religiosae professionis tantum (3).

---

(1) Si quis vovet sub conditione, aut alternative ex. gr. castitatem aut jejunium, votum non est reservatum; quia non absolutum. Si vovet ex metu levi, vel sub obligatione levi; si vovet non fornicandi, non nubendi; vel si votum non fuit emissnm amore virtutis, non est reservatum defectu aliarum conditionum. Adverte, quod si quis ex voto ingressus est in religionem, et ab ea expulsus est postea ob suam culpam; debet ingredi in aliam religionem: si vero sine sua culpa, distinguendum: si votum fuit de aliqua particulari religione, non debet in aliam ingredi: secus debet.

Nota etiam quod praedicta vota sunt Rom. Pontifici reservata tantum quoad substantiam; unde in eorum circumstantiis potest Episcopus dispensare: imo potest etiam in substantia, quando urget necessitas nec adest facilis accessus ad Papam.

(2) En differentia inter irritationem, dispensationem, et commutationem: prima fit per potestatem dominativam, et est valida, etiamsi fiat sine causa; secunda et tertia fiunt per potestatem jurisdictionis in foro externo, et requiritur causa, excepta commutatione in melius, quae fieri potest ab ipso vovente et sine causa. Adverte, quod ad commutandum votum in minus reqniritur facultas non solum commutandi, sed etiam dispensandi. Quare *dispensare commutando* importat commutare in minus, tollendo ultra dimidium rei votae; *et commutare dispensando* commutare in minus tollendo infra dimidium, moraliter acceptum. At commutatio securior in omni genere votorum erit semper frequentia Sacramentorum.

(3) Adverte, quod quilibet confessarius potest commutare in aequale vota simplicia, licet reservata Pontifici, iis qui fruuntur privi-

Q. *Post commutationem potest vovens redire ad primum votum?*

R. Maxime ex regula juris: *Quisque autem potest favori suo renuntiare.*

Q. *Qui votum substitutum servare non potest, tenetur ad primum?*

R. Si commutatio facta est ab ipso vovente, tenetur: si a superiore, non tenetur; quia obligatio semel extincta non reviviscit.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS

De simonia.

Q. *Quot sunt vitia religioni opposita?*

R. Duo: irreligiositas, et superstitio.

Q. *Quaenam sunt species irreligiositatis?*

R. Sunt simonia, blasphemia, perjurium, sacrilegium et tentatio Dei (1).

Q. *Quid est simonia?*

R. Est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum pretio temporali (2).

---

legiis Bullae Cruciatae, exceptis tamen duobus castitatis, et religionis ex Bul. 11. Jan. 1856.

Insuper si votum reservatum commutatum est a Rom. Pontifice in aliud opus, hoc aliud opus non censendum est reservatum.

Demum ex Ben. XIV. commutari nequeunt vota simplicia perseverantiae, quae emitti solent in aliqua Congregatione; et vota realia a tertio acceptata: item vota poenalia praeservantia a peccatis, nisi commutatio fiat in aliud opus poenale, quod aeque ad praeservandum conducit. Sed recurrendum est ad Papam.

(1) Tentatio Dei est dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum, ab eo temere expectatum. Haec ex genere suo est peccatum grave.

(2) Dicitur *studiosa voluntas*, idest deliberata voluntatis actio; *emendi, vel vendendi*, idest quodlibet pactum non gratuitum distrahendi; *pretio temporali*, idest qualibet re pretio temporali aestimabili. Hoc pretium est triplex, nempe *munus a manu, munus a lingua, munus*

Q. *Quotuplex est simonia?*

R. Alia est *de jure divino*, quae circa res mere spirituales versatur, et est prohibita, quia mala: alia est *de jure ecclesiastico*, quae versatur circa res ab Ecclesia sub simoniae labe vetitas, et est mala quia prohibita (1). Insuper simonia, sive de jure divino sive de jure ecclesiastico, potest esse *mentalis*, *conventionalis*, *realis*, et *confidentialis*. *Mentalis* est, quando intra mentem sistit, nullo externo signo manifestata. *Conventionalis* dicitur, quando habetur pactum expressum vel tacitum, sed neutra parte completum. *Realis* dicitur, quando ex utraque parte pactum adimpletum est (2). *Confidentialis* tandem fieri potest solum in beneficiis vel per accessum, vel per ingressum, vel per regressum, vel per pensionem (3).

---

ab obsequio, idest pecunia, remissio debiti, cessio jurium, etc. laudes, favores, intercessiones, etc. famulatus, ministerium in rebus temporalibus praestitum, etc. At tunc per *munus a lingua* vel *ab obsequio* committitur simonia, cum pro istis aliquid temporale esset solvendum, vel pactum adest pro istis dare spirituale. Res spirituales vero possunt esse quadruplicis generis: 1. *essentialiter* spirituales, uti gratia, virtutes; 2. *causaliter* spirituales, uti sacramenta; 3. *effective* spirituales, uti absolutio a censuris, dispensatio in voto; 4. et spirituales *per adnexionem*. Res spirituales per adnexionem theologi distinguunt in res *antecedenter* spirituales, quando temporale antecedit spirituali, et sic vocant vestes sacras, juspatronatus; *concomitanter* spirituales, quando simul habetur temporale et spirituale, et sic vocant laborem intrinsecum in sacramentis conficiendis vel administrandis; et *consequenter* spirituales, quando spirituale praecedit temporali, et sic vocant jus percipiendi fructus ex beneficio.

(1) Adsunt aliqua, quorum emptio vel venditio non a lege divina, sed a lege Ecclesiae ob reverentiam prohibetur. Unde vendere officium sacristae, oeconomi, procuratoris ecclesiae est simonia de jure ecclesiastico. In hac simonia de jure ecclesiastico potest dispensare Summus Pontifex; in simonia de jure divino nequaquam, cum sit intrinsece mala.

(2) Si ab una parte tantum completum est pactum, nempe per traditionem solius pretii temporalis, vel solius rei spiritualis, tunc simonia dicitur *mixte conventionalis* vel *semirealis*.

(3) Per *accessum* committitur simonia, quando quis volens conferre

Q. *Quale peccatum est simonia?*

R. Simonia prohibita est jure naturae, et jure positivo divino et ecclesiastico. Qui eam committit graviter peccat (1) contra religionem violando rem sacram, et etiam contra justitiam accipiendo pretium temporale sine ullo titulo (2).

Q. *Estne simonia vendere aliquid temporale, cui adnexum est spirituale?*

R. Si temporale adnexum est spirituali concomitanter, est simonia; tunc enim separari nequit temporale a spirituale: secus non est simonia, dummodo temporale carius non vendatur quia spirituali adnexum; et dummodo non adsit aliqua Ecclesiae prohibitio, uti esset in venditione Olei Sancti quatenus olei.

Q. *Estne simonia vendere fundos beneficii?* (3).

---

beneficium alicui inhabili per aetatem, illud confert alteri cum pacto, ut beneficium dimittat statim ac inhabilis fiat habilis. Per *ingressum* committitur, quando quis beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignat, servato sibi jure beneficii possessionem ingrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. Per *regressum* committitur, quando quis post captam beneficii possessionem illud alteri resignat, servato sibi jure in eandem possessionem regrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. Per *pensionem* denique committitur, quando quis suum beneficium alteri resignat reservans sibi vel alteri ex privata auctoritate aliquam pensionem.

(1) In simonia de jure divino non datur parvitas materiae. In simonia de jure ecclesiastico probabilius datur.

(2) Hinc pretium simoniace acceptum restituendum est domino, si res spiritualis nondum tradita est; si vero tradita, ecclesiae vel pauperibus. Res spiritualis autem simoniace accepta potest retineri, exceptis beneficiis et officiis spiritualibus, in religionibus, uti sunt Prioratus, Abbatiae, quae sunt omnino dimittenda ante judicis sententiam, quia collatio fuit nulla.

(3) Beneficium est *jus perpetuum competens clerico fructus percipiendi ex bonis ecclesiae propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum.* Beneficium potest esse *saeculare*, si competit clericis saecularibus; *regulare*, si competit regularibus. Insuper potest esse *simplex* et *curatum*, prout non, vel adnexam habet curam animarum: potest esse *electivum*, si a pluribus confertur per electionem

R. Maxime: utrum de jure divino vel ecclesiastico, quaestio.

---

confirmandam a superiore ecclesiastico: *collativum*, si a superiore tantum confertur: *mixtum*, si a superiore ecclesiastico confertur post Patroni praesentationem.

Hinc uno ex his tribus modis acquiri solent beneficia, nempe 1. vel electione et confirmatione; 2. vel collatione libera; 3 vel praesentatione Patroni, et institutione superioris.

Beneficiarius habet jus ad honestam et decentem vitae suae sustentationem ex fructibus sui beneficii, etiamsi aliunde habeat unde vivere: quod superest, applicare debet pauperibus vel ecclesiae: de fructibus testari non debet in favorem suorum consanguineorum; potest hos alere, si sint pauperes.

Beneficiarii tenentur ad recitandas quotidie horas canonicas; secus post sex menses a beneficii possessione non faciunt suos fructus: tenentur deferre habitum et tonsuram sub poena amissionis beneficii: tenentur ad residentiam, si hanc beneficium postulat. At episcopi et canonici possunt per menses tres, et parochi per duos quolibet anno abesse ab eorum ecclesiis, sed rationabili de causa. Ultra hoc tempus absentes non faciunt suos fructus pro rata temporis absentiae, et illos applicare tenentur ecclesiae vel pauperibus loci beneficii: excipe, si adsit causa canonica. Causae canonicae sunt ex Trident. 1. *christiana caritas*; 2. *urgens necessitas*; 3. *debita obedientia*; 4. *evidens ecclesiae* vel *reipublicae utilitas*. Residentiae vero non satisfacit, qui corpore praesens, animo absens ovium vel Ecclesiae curam negligit.

In officii recitatione peccat graviter 1. qui officium permutat in aliud notabiliter brevius sine aliqua compensatione: 2. qui mentaliter tantum illud recitat: 3. qui integram parvam horam aut aliud aequivalens omittit: 4. qui ex praecipitantia notabiliter verba ita mutilat vel omittit, ut nullum reddant sensum: 5 qui in gravi quantitate voluntarie se distrahit, et *plene* advertit se distrahi ab officio. Scrupulosus autem propter distractiones nunquam repetere tenetur. Lig. IV. 150. Causae excusantes sunt *dispensatio*; *impotentia phisica* vel *moralis*; et *urgens charitas*, quando scilicet charitatis opera sine scandalo, aut gravi damno sui vel proximi omitti nequeunt.

Non est licitum habere plura simul beneficia, quorum unum sit sufficiens ad vitae sustentationem.

Qualitates requisitae ad beneficia assequenda sunt: 1. aetas praescripta; 2. clericatus; 3. ut sit ex legitimo toro natus; 4. coeliba-

Q. *Estne simonia, si collator beneficii vellet aliquid accipere, quia confert beneficiato emolumentum temporale, vel ob motivum dandi spirituale, vel ob gratuitam compensationem?*

R. Maxime: sunt istae tres propositiones damnatae ab Innoc. XI.

Q. *Estne simonia dare aliquid temporale ad tollendam vexationem in beneficio?*

R. Si vexatio est justa, est simonia. Si est injusta, distinguo : vel qui patitur vexationem injustam, habet jus in re, non est simonia ; vel habet jus ad rem, et subdistinguo: si dat ei , qui potest obesse et prodesse, est simonia; si dat ei, qui potest obesse et non prodesse, non est simonia , quia datur temporale ad tollendas iniquas oppositiones (1).

Q. *Estne simonia vendere jus patronatus?* (2)

R. Maxime. At si jus patronatus adnexum est alicui fundo, vendi potest fundus, cui haeret; dummodo fundus non vendatur pluris ratione juris patronatus, quod transfertur.

Q. *Estne simonia vendere pensionem?* (3)

---

tus; 5. morum probitas; 6. scientia pro beneficii qualitate; 7. immunitas ab impedimento canonico, puta excomm. etc.

Vacant beneficia 1. per mortem beneficiarii; 2. ex dispositione juris, v. g. si beneficiarius aliud incompatibile beneficium accipit, vel matrimonium contrahit, vel religionem profitetur, vel committit crimen , cui a jure adnexa est amissio beneficii , puta simoniam, haeresim, etc. 3. per sententiam judicis; 4. per liberam resignationem.

(1) *Jus in re* est jus acquisitum v. g. per collationem, institutionem. Jus *ad rem* est jus proxime acquirendum v. g. per approbationem in concursu, per praesentationem. Ille dicitur posse *obesse* et *prodesse*, qui potest vel impedire, vel juvare ad beneficium: ille dicitur posse tantum *obesse*, qui falsa accusatione aut denuntiatione potest solum impedire.

(2) Jus patronatus est jus nominandi , seu praesentandi clericum idoneum ad beneficium vacans. Acquiritur hoc jus vel fundatione, vel aedificatione, vel dotatione. Est ecclesiasticum , laicale , vel mixtum prout pertinet ad ecclesiam, ad laicum, vel ad utrumque.

(3) Pensio est jus percipiendi aliquam portionem fructuum ex bene-

R. Vendere pensionem clericalem, vel mixtam est simonia: vendere laicalem non est simonia; pensio enim laicalis nil spirituale continet.

Q. *Estne simoniaca transactio in beneficiis?* (1)

R. Si fiat privata litigantium auctoritate, est simonia, cum sit a jure prohibita: si fiat auctoritate episcopi, non est simonia.

Q. *Estne simoniaca permutatio beneficii?* (2)

R. Maxime de jure ecclesiastico, si fiat auctoritate privata.

Q. *Estne simoniaca resignatio beneficii?* (3)

R. Resignatio absoluta non est simoniaca; conditionata est simoniaca, quando fit sine auctoritate Superioris.

Q. *Estne simonia dare aliquid temporale pro omissione actus spiritualis?*

R. Si omissio est actus jurisdictionis, uti negatio absolutionis, est simonia: secus non; nam omissio operis spiritualis non est aliquid spirituale, uti esset omissio orandi, celebrandi, eleemosynam dandi, etc.

Q. *Estne simonia dare aliquid temporale ministro nolenti gratis sacramenta ministrare?*

R. Quando non datur tanquam pretium rei sacrae, sed ad inflectendam iniqui ministri voluntatem, et adest rationabilis causa, non est simonia, sed tantum concursus materialis peccato ministri.

Q. *Adsunt poenae contra omnes simoniacos?*

---

ficio alterius. Potest esse clericalis, si datur clerico ob spirituale ministerium; laicalis, si datur laico ob temporalem causam; et mixta si detur clerico ob impotentiam vel paupertatem.

(1) Transactio est pactio non gratuita de re dubia, et de lite incerta ad dirimendam litem.

(2) Permutatio est reciproca beneficiorum resignatio inter beneficiatos.

(3) Resignare beneficium est illud voluntarie dimittere. Potest resignatio fieri absoluta, quando nulla conditio apponitur: conditionata, quando apponitur conditio, ut solvatur ex. gr. sibi annua pensio, vel ut beneficium resignatum alicui personae conferatur et non alteri.

R. Minime: sed tantum quando simonia est realis, et haec a manu, in hisce casibus: 1. in simonia reali in professione religiosa: 2. in simonia reali in beneficiis: et 3. in simonia confidentiali etiam in beneficiis juxta Const. *Apost Sedis*. Cas. X. VIII. IX. (1)

Q. *Quaenam sunt poenae contra simoniacos in professione religiosa?*

R. 1. Excommunicatio Papae reservata, in quam incidunt dantes, et accipientes pretium temporale. 2. Utraque pars incurrit infiamiam juris, ideoque irregularitatem. 3. Simoniace scienter professus detrudendus est in aliud strictius monasterium, sed post judicis sententiam. Professio tamen est valida ex D. Thoma (2).

Q. *Quaenam sunt poenae contra simoniacos reales in beneficiis?*

R. 1. Excommunicatio Papae reservata, in quam incidunt beneficium suscipientes, conferentes, eorumque complices. 2. Collatio est nulla, et ideo provisus tenetur ante judicis sententiam beneficium et fructus restituere (3):

---

(1) Quando autem in hisce casibus simonia est mentalis, vel conventionalis, vel mixte conventionalis, non adsunt poenae; etiamsi juxta probabiliorem sententiam tradita sit res spiritualis. Excipe simoniam confidentialem, in qua non requiritur, ut pactum sit utrinque completum ad poenas incurrendas; sed sufficit ut beneficium sit datum et acceptum tali pacto, quamvis recipiens non habeat intentionem restituendi beneficium vel solvendi pensionem ex bul. S. Pii V: sicut etiam simoniam pure conventionalem in electione R. Pontificis ex Const. Julii II, quae adhuc poenis est obnoxia, cum eas in suo robore reliquerit Pius IX. Const. *Ap. S.*

(2) Si professio non sequatur, istae poenae probabilius non incurruntur, quia delictum non est completum. Nec obstat, quod in Const. *Ap. S.* excommunicantur rei simoniae realis *ob ingressum in Religionem*; nam ex DD. ingressus in religionem tunc praesertim habetur, cum quis *solemnem professionem emittit* in Religione approbata: sumus enim in *odiosis*.

(3) Iste ex comm. sent. probabiliter non tenetur restituere fructus perceptos intuitu stolae, aliarumque ecclesiasticarum functionum; quia sunt stipendia officii, quod exercetur. Qui vero bona fide accepit be-

et 3. fit inhabilis ad idem beneficium accipiendum (1).

Q. *Quaenam sunt poenae contra simoniacos confidentiales?*

R. 1. Excommunicatio Papae reservata contra utrumque contrahentem in beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis. 2. Nullitas resignationis et collationis beneficii, in quo commissa est simonia, ante judicis sententiam. 3. Privatio reliquorum beneficiorum, sicut et pensionum antea rite obtentarum, sed post sententiam criminis declaratoriam. 4. Inhabilitas ad idem, et ad alia beneficia. 5. Beneficia in confidentia collata reservantur Pontifici, et fructus cedunt Camerae Apostolicae (2).

Q. *Quaenam sunt causae a simoniae labe excusantes?*

R. Sunt: quando datur temporale 1.° ex sola animi gratitudine, tanquam merum donum, excepta tantum occasione examinis ad Paroeciam, vel Ordinum collationis ex

---

neficium per simoniam tertii, potest illud retinere in aliquibus casibus, uti dictum est in tract. *de act. hum.* cap. *de ignor.*

(1) Hic sub nomine beneficii non veniunt pensiones, vicariatus ad nutum amovibiles, capellaniae non collativae, nempe, quae erectae et institutae non sunt Episcopi auctoritate. Vide Ligor. lib. III. n.° 112. At ipso jure sunt invalidae simoniacae electiones praelaturarum, aliorumque officiorum spiritualium in Religione.

(2) Juxta plurimos ad supradictas poenas incurrendas requiritur, ut beneficii resignatio, etc. per se esset valida, si simoniacum deesset pactum. Hinc non incurruntur, si resignatio fiat propria auctoritate absque Superioris consensu: contrà vero, si fiat resignatio in manu Superioris post occultam confidentiam. Heic non abs re erit advertere, quod examinatores beneficiorum parochialium, si quidquam prorsus occasione huius examinis ante vel post accipiunt, simoniae vitium tam ipsi, quam dantes incurrunt, a quo absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocunque ante obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles redduntur. Verba sunt Concilii Tridentini sess. 24, cap. 18.

Insuper nota quod ex cit. Bul. *Ap. S.* etiam excom. Pp. res. incurrunt 1.° Episcopis inferiores quaestum facientes ex indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus. Cas. XI. 2.° Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent. Cas. XII.

Trid: 2.° per modum stipendii ad honestam sustentationem, ut in Missis, aliisque sacris functionibus: 3.° ex consuetudine legitime introducta, uti emolumentum pro admissione in religionem ad professi indumenta, vel sustentationem tempore Novitiatus, etsi coenobium sit dives: 4.° denique pro labore extrinseco, puta pro Missa celebranda tali loco, hora, cum cantu, etc.

De Superstitione.

Q. *Quid est superstitio?*

R. Est cultus vitiosus veri Dei, vel cultus falsi numinis: ita d. Thomas. Hinc superstitio potest esse vel ex parte cultus indebiti, vel ex parte objecti (1).

Q. *Quid est cultus indebitus?*

R. Est cultus, quo verus Deus colitur, sed modo inordinato.

Q. *Quotuplex est cultus indebitus?*

R. Duplex: falsus, et superfluus. Falsus est, quando falsa miracula praedicantur, falsae reliquiae exponuntur, etc. et hic semper est peccatum grave, etiamsi haec fiant ad devotionem vel religionem augendam, nisi ignorantia vel simplicitas excuset. Superfluus, quando quis aliquas sibi ex arbitrio effingit caeremonias praeter illas ab Ecclesia statutas, ex. gr. missam audiendo cum certo cereorum numero, et ordine; hic potest esse peccatum veniale.

Q. *Quot sunt species superstitionis ex parte objecti?*

R. Tres: idololatria, divinatio, et vana observantia, quae sunt ex genere suo mortalia. Ita d. Thomas.

Q. *Quid est idololatria?*

---

(1) Sicut irreligiositas dicitur vitium oppositum religioni per defectum, ita superstitio dicitur vitium religioni oppositum per excessum.

Malefici et sortilegi cum diabolo pactum facientes de jure communi sunt denuntiandi: imo etiam omnes superstitiosi, si operentur cum conscientia peccati, et haeresis suspicionem tribuant. Clerici autem Sacrificio ad sortilegia abutentes perpetuam inhabilitatem incurrunt ad Missam celebrandam, accedente declaratione saltem criminis. Lig.

R. Est cultus soli Deo debitus, qui creaturae exhibetur (1).

Q. *Quid est divinatio?*

R. Est significatio occultorum ex pacto cum daemone sive expresso, sive tacito (2). Divinationis species principales sunt: necromantia, astrologia judicaria, et sortilegium (3).

---

(1) In D. N. excommunicationem Ord. reserv. contrahunt quicunque daemoni spondent obsequium, vel thus, vel sacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus: item qui condunt, aut condere faciunt imagines, anulos, aut aliud artefactum, in quo daemones constringunt. C. III. Ad hunc casum incurrendum sponsio, seu promissio debet esse *vera*, idest animo se obligandi, et exterius manifestata: obsequium porro debet esse *sacrum*, quod importat actum religionis Deo et Sanctis debitum, etiamsi praestetur sine animo daemonem honorandi, sed ex metu vel cupiditate temporalia assequendi, uti patet ex illis verbis: *quamvis absque errore intellectus.*

Heic tamen abs re non erit monere confessarium, quod accedente ad suos pedes aliquo divinatore, mago, etc. in primis debet illum confortare contra metum et terrores diaboli; efficacibus rationibus errorem depellere, si quis in eo sit; et curare ut confessio integra fiat, isti enim metu, vel errore, vel pacto persaepe deficiunt in hoc. Dein eum interrogare debet de specie et numero superstitionis, vel maleficii; an intercesserit pactum, et quale; an pactum fuerit de abnegando Deum, Christum, Sacramenta; daemonem pro sancto habendo, nec damnatum aut miserum putando, etc. quia si error non sit ei tantum in externa confessione hujusmodi rerum, sed et in mente, tunc est haeresis quoque reus. Postremo debet ei imponere ut pactum expressum, si quod habet cum daemone, aut commercium abjuret et dissolvat; ut chirographum, libros, schedulas, ligaturas, aliaque artis instrumenta comburat; et ut, si quae sint damna proximo illata, reficiat.

(2) Pactum expressum habetur, quando quis expresse invocat daemonem ore, vel etiam mente ad occulta scienda. Si vero adhibet tantum media nullam vim habentia ad occulta scienda, dicitur pactum tacitum, uti qui ad furem divinandum utitur cribri circumductu.

(3) Necromantia est responsio daemonis immediate invocati, quae fit per mortuos in speciem resuscitatos. Astrologia judiciaria est, quando quis ex situ vel motu siderum cognoscere velit eventus a libero arbitrio dependentes. Sortilegium est divinatio per sortes; quae

Q. *Quid est vana observantia?*

R. Est quando ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia, et improportionata. Huius species sunt: ars notoria, observantia sanitatum, et observantia futurorum eventuum: ita divus Thomas (1).

Q. *Quid est magia, et maleficium?*

R. Possunt ista revocari ad quamdam speciem vanae observantiae. Magia est, cum quis ex pacto et cooperatione daemonis intendit mira facere. Maleficium est, cum quis ex pacto et cooperatione daemonis intendit alteri nocere (2).

---

possunt esse divisoriae, consultoriae, et divinatoriae. Primae adhiberi solent quandoque in partitione bonorum, et istae in electionibus ecclesiasticis sunt semper prohibitae. Secundae, si conjunctae sint cum reverentia et fiducia in Deum, stante rationabili causa, sunt licitae; secus essent tentatio Dei. Tertiae sunt superstitiosae, et semper illicitae.

(1) Ars notoria est illa, qua quis ad scientiam obtinendam media adhibet, quae nullam habent virtutem illam causandi. Observantia sanitatum dicitur illa, qua ad curandos morbos adhibentur media, quae nullam habent virtutem. Observantia futurorum eventuum est praedictio prosperae vel adversae fortunae ex signis prorsus ineptis.

(2) Si maleficium dirigitur ad carnalem amorem vel odium excitandum dicitur *philtrum*; si ad damna in salute vel in bonis inferenda, dicitur *veneficium*. Adverte, quod nunquam licitum est tollere maleficium mediis superstitiosis, cum sint intrinsece mala.

Praeterea in D. N. excommunicationem Ord. reserv. incurrunt: 1.° Abutentes per se, vel per alium SS. Eucharistia, Chrismate, Oleo Sancto, sive quacunque re consecrata ad veneficia, divinationes, sortilegia, vel ad quemcunque alium usum praeter illum, ad quem haec instituta fuerunt: item sumentes, dantes, et recipientes rem consecratam ad praedictos fines, etiam abusu non secuto. C. II. Heic vero nomine *Olei Sancti* probabilius venit *Oleum catechumenorum*, quod sic appellatur in Rit. Rom: et nomine rei consecratae veniunt ea omnia, quae sunt chrismate aut oleo sancto delibuta, et per legitimam potestatem Deo dicata, uti calices, patenae, aqua fontis baptismalis, *Agnus-Dei* ex cera, etc: nunquam tamen comprehenduntur loca et personae consecratae, vestes sacrae, aqua lustralis, Sanctorum reliquiae,

De Mesmerismo et tabulis rotantibus.

Q. *Quid est mesmerismus?*

R. Mesmerismus ab Antonio Mesmer appellatur etiam *magnetismus*, siquidem (ut ajunt) est fluidus nerveus ab animalium corporibus manans, similis fluxui magnetis. Eius phaenomena, seu effectus sunt: 1.° somnus tanquam naturalis, procedens ex phisica transmissione fluidi ab uno ad aliud corpus; et hic, servatis a S. Sede praescriptis, non est moraliter vetitus, sed jamdiu obsolevit: 2.° *somnambulismus*, in quo quis sensibus destitutus legit, internas corporum infirmitates cognoscit, res longe dissitas videt, ignotis scientiis callet,etc: 3.° communicatio cum spiritibus (h. e. malis), a quibus persona magnetizata revelationes accipit, et cum quibus loquitur et conversationem habet (1). Huc etiam revocari possunt tabulae loquentes,

---

etc. neque ea, quae separatione a totali re, aliove modo amittunt consecrationem.

2.° Qui cum expressa daemonis invocatione ad quemcunque effectum utuntur divinationibus, magis, incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis, ut a legitimo matrimonii usu conjuges avertant: scienter in his cooperantes, aut quovis modo consentientes. C. IV. Expressa vero daemonis invocatio ex D. Th. habetur vel verbis, quando daemon suo nomine invocatur; vel facto, quando quis sciens daemonem aliquo signo vel facto occurrere, signum istud vel factum adhibet. Quod si media vana et inutilia adhibentur ad aliquid assequendum, tunc adest invocatio tacita, quia in his se immiscet diabolica operatio. 2, 2. q. 95 a. 2.

(1) De 1.° effectu interrogata S. Offic. Congregatio die 23 jun. 1840 respondit: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media phisica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocunque pravum.* In Encyclica vero S. R. Inquisitionis ad totius orbis Episcopos 4. aug. 1856, recensitis effectibus 2, et 3 generis, legitur: *In hisce omnibus quacunque demum* (homines) *utantur arte vel illusione, cum ordinentur media phisica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum.* Vide Scav. IV. app.37.edit.XII.

vel se moventes contra phisicas leges naturales; cum enim lignum percipere nequeat praecepta hominis, communis persuasio est, rem agi cum spiritibus, a quibus tabulae moventur, et respondent.

Q. *Quid de magnetismo* (1) *et tabulis loquentibus vel rotantibus?*

R. Sunt omnino illicita, ac reprobanda; nam mira eorum phaenomena vel non sunt vera, sed circulatorum praestigia, adstantium hallucinationes; et tunc ea consulere, eorumque responsis fidem exhibere est *deceptio omnino illicita et haereticalis*: vel sunt vera, et tunc, cum non sint proportionata causae, uti superstitiosa ab Ecclesia damnantur: ac proinde si ad occulta scienda ordinantur, habetur *Divinatio*; si ad salutem recuperandam, *Observantia sanitatum* (2).

---

(1) Intellige quoad 2 et 3 effectum; nam primus per se non est illicitus, uti dictum est supra, quamvis periculosissimus. Imo in D. N. magnetizantes in praefatis effectibus incidunt in excom. Ord. reservatam, quia in his adest expressa daemonis invocatio: sicut etiam magnetizati et spectatores *scienter*, utpote cooperantes, aut quovis modo consentientes. C. IV.

(2) Idem dicendum de spiritismo, cujus consultatio prorsus diabolica est, et veram divinationem sacris litteris tam severe prohibitam constituit. Quapropter, etiam remoto scandalo, peccat graviter tum qui hujusmodi consultationes adhibet, tum qui passive tantum, idest ex simplici curiositate eis assistit, quippe rei intrisece malae cooperat. Nec prodest si praemittatur protestatio non assentiendi ulli operi diabolico; tunc enim valet protestatio, quando agitur de re indifferenti, et dubitatur an sit naturalis vel superstitiosa; non vero quando certo constat esse superstitiosam, quia protestatio non mutat naturam actus, et posita causa necessario sequi debet effectus: ideoque incurritur excom. ferend. sent. ex cap. *Si quis ariolos* ob commercium cum daemone; quod commercium si sit haeresi conjunctum, adest etiam excom. latae sent. speciali modo reser. Pontifici.

DE CONTRACTIBUS

De contractibus in genere.

Q. *Quid est contractus?*

R. Est duorum vel plurium in idem placitum consensus obligationem pariens (1).

Q. *Quotuplex est?*

R. 1.° Unilateralis, quando obligat unam partem, uti donatio; bilateralis, quando obligat utramque partem, uti venditio. 2.° Gratuitus, et onerosus: primus, qui gratis exhibetur, uti commodatum; alter, qui fit sub aliquo onere, uti locatio. 3.° Explicitus, et implicitus. Primus quando contrahentes expresse conveniunt de aliquo; secundus quando tacite (2). 4.° Nominatus, et innominatus: primus habet proprium nomen, uti venditio, donatio, etc. secundus non habet. Innominatorum contractuum quatuor sunt species, scilicet: *do ut des*; *facio ut facias*; *do ut facias*; *facio ut des*. 5.° Purus, et non purus: primus est ille, cui nulla est adnexa qualitas; secundus est ille, qui habet adnexam aliquam qualitatem (3).

---

(1) Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, vel omittendum. Potest esse *naturalis*, si tenet tantum in foro conscientiae; uti obligatio debitum solvendi, quod juridice nequit probari: *civilis*, si actionem parit tantum in foro externo; uti obligatio in praesumptione facti, facto non existente, e. g. si quis ex falsis depositionibus a judice damnetur ad mulctam, et nulla ei suppetat via ad innocentiam probandam: et *mixta*, si liget in utroque foro.

(2) Contractus implicitus habetur ex. gr. in aditione haereditatis, in susceptione alicuius officii, etc.

(3) Olim ex jure romano dividebantur etiam in contractus stricti juris, et bonae fidei: primi erant illi, in quibus judex stare debebat omnino verbis contrahentium, puta census, emphyteusis; secundi illi, in quibus judex potestatem habebat arbitrandi. Insuper theologi distinguunt etiam contractus in nudos, et vestitos: nudos vocant illos, qui carent firmamento exteriori legis civilis, puta scriptura, juramento,

De qualitatibus contractuum.

Q. *Quot sunt qualitates contractuum?*

R. Istae: 1.° adjectio diei; 2.° conditio; 3.° modus; 4.° demonstratio; 5.° causa.

Q. *Contractus celebratus adjectione diei quando obligat?*

R. Vel dies est certa (puta, dabo tibi centum die Paschatis), et obligat a principio; quia dies haec apponitur ad differendam obligationem: vel dies est incerta (puta, dabo tibi centum, quando navis venerit), et obligat adveniente die; quia apponitur ad suspendendam obligationem, et habetur tanquam conditio. Si vero dies est certo futura, licet sit incertum quando (puta, dabo tibi centum, quando obierit pater tuus); vel dies incerta apposita sit in gratiam solius promissarii (puta, dabo tibi centum, quacunque die velis ingredi in religionem), tunc contractus etiam obligat a principio.

Q. *Quid est conditio?*

R. Est qualitas, quae suspendit consensum in contractu (1).

Q. *Quotuplex est?*

R. 1.° Propria, et impropria: illa, quae respicit futurum liberum, vel contingens; haec, quae respicit praeteritum, vel praesens, vel futurum necessarium; 2.° Possibilis, et impossibilis; 3.° Honesta, et turpis h. e. licita et illicita.

Q. *Contractus celebratus sub conditione estne validus?*

R. Distinguo: si sub conditione impropria, est validus, dummodo conditio sit vera, idest existens; nam pendet a re certa: si sub conditione propria, subdistinguo: vel conditio est honesta et possibilis, et contractus est validus,

---

testibus, etc. vestitos, qui habent hoc firmamentum. At ex Cod. omnes contractus tam nominati, quam innominati iisdem generalibus regulis subjiciuntur.

(1) Conditio exprimitur per particulas *si, nisi, dummodo.*

verificata conditione (1): si est turpis vel impossibilis, contractus est nullus, quia ad turpia et impossibilia nulla obligatio: excipe si conditio turpis vel impossibilis apponatur in ultimis voluntatibus (2), vel in matrimonio; quia in his contractibus haec conditio rejicitur a jure, et habetur tanquam non apposita, et ideo contractus est validus. In matrimonio autem, si conditio turpis opponitur uni ex tribus bonis substantialibus matrimonii, matrimonium est nullum (3).

Q. *Quid est modus?*

R. Est clausula, qua adjicitur aliquod onus contrahenti, sed non suspendit consensum (4).

---

(1) In contractibus conditionatis oritur obligatio expectandi exitum conditionis, et interim non reddendi se impotentem. Verificata conditione, non requiritur novus consensus; nam idem, qui prius erat suspensus, evadit absolutus.

(2) Hinc si quis promittit centum Titio, si occidat inimicum, contractus est nullus. Si legat centum, si occidat: centum debentur, et inimicus non debet occidi; contractus enim est validus, quia ultimae voluntatis, et conditio turpis habetur tamquam non apposita. Idem dic, si legat centum puellae nubili (non viduae) ne nubat, vel ne ingrediatur in religionem, debentur etiamsi nubat, vel ingrediatur in religionem. Adverte, quod si quis in legato alicui ecclesiae facto sub conditione ad pias causas, expresse declaravit, quod piis operibus non adimpletis, legatum sit nullum: postquam legatum acceptatum est, si culpa solius Praelati opera non adimplentur, legatum revocari non potest: quia Praelatus potest tantum ecclesiae nocere pro jure acquirendo, non pro jure acquisito. Adverte etiam, quod si quis relinquat legatum ad determinatas puellas in matrimonio collocandas, istis debetur, etiamsi velint ingredi in religionem: si vero puellae non sunt determinatae, illis debetur, quae in matrimonio collocantur.

(3) Idem dic de professione religiosa, et de sponsalibus conditionatis juxta theologos. At nota, quod si conditio turpis vel impossibilis *serio* sit apposita, ita ut nullo modo intendant contrahentes sine tali conditione contrahere, tunc contractus seu dispositio est nulla; quia deficit consensus.

(4) Solet exprimi modus per particulas *ut*, *ad*, *ne*. Sic ex. gr. dono tibi centum *ad* emendum, vel *ut* emas equum.

Q. *Contractus celebratus sub modo estne validus?*

R. Semper est validus, sive modus sit honestus et possibilis, sive non; si enim est honestus et possibilis, inducit ex justitia obligationem adimplendi modum; secus non.

Q. *Quid est demonstratio?*

R. Est appositio signi ad ostendendam rem de qua contrahitur, vel personam cum qua contrahitur.

Q. *Si demonstratio est falsa circa personam, contractus estne validus?*

R. In contractibus gratuitis, contractus est nullus; in his enim contractibus persona est subjectum substantiale (1). In contractibus onerosis, contractus est validus; quia persona est accidentalis: excipe matrimonium, aut alium contractum, in quo primario contrahitur non de re, sed de persona.

Q. *Si demonstratio est falsa circa rem, contractus estne validus?*

R. Si demonstratio falsa est circa substantiam, contractus est nullus; si circa qualitatem, subdistinguo: si qualitas est deducta in pactum, est etiam nullus; secus validus.

Q. *Si demonstratio est falsa circa numerum vel quantitatem rei, excessus potest retineri?*

R. Si demonstratio est taxativa non potest; si ostensiva potest (2).

Q. *Quid est causa?*

R. Est ratio expressa, propter quam contrahitur (3).

Q. *Quotuplex est?*

R. Potest esse finalis seu motiva, et est illa, sine qua contractus non fuisset celebratus: impulsiva, et est illa,

---

(1) Hinc si dono centum Titio putans esse Cajum, donatio est nulla, deest enim consensus.

(2) Demonstratio taxativa est illa, quae incipit a mensura, et desinit in rem, puta centum, qui sunt in illo sacculo. Demonstratio ostensiva est illa, quae incipit a re, et desinit in mensuram, puta illum sacculum, in quo sunt centum.

(3) Exprimitur per particulas *quia, propter, quoniam.*

sine qua contractus etiam fuisset celebratus; sed non tam de facili.

Q. *Estne validus contractus celebratus sub causa non subsistente?*

R. Si causa est finalis, contractus est nullus: si impulsiva, est validus; quia non deficit consensus.

De iis, quae essentialiter requiruntur ad valorem contractus.

Q. *Quaenam requiruntur essentialiter ad valorem contractus?*

R. Requiritur: 1°.consensus; 2°.habilitas contrahentium; 3°. forma substantialis, si qua sit a jure praescripta; 4°. capacitas rei.

Q. *Quinam consensus requiritur ad contractum?*

R. Verus, liber, mutuus, et expressus (1).

Q. *Quid est error, quid dolus?*

R. Error est acceptio unius rei pro alia. Dolus est machinatio adhibita ad alterum decipiendum.

Q. *Quotuplex potest esse error, vel dolus?*

R. Potest esse vel circa substantiam, vel circa qualitatem. Insuper antecedens, et est ille sine quo contractus non fieret; concomitans, et est ille sine quo contractus etiam fieret, sed non tam de facili. Tandem error, vel dolus potest procedere vel ab alio contrahente, vel a tertia persona, vel ab ipso decepto, qui ob suam ignorantiam erravit sine alterius malitia.

Q. *Contractus celebratus per errorem, vel per dolum estne validus?*

R. Si error vel dolus est circa substantiam, sive sit antecedens sive concomitans, nullus est contractus defectu consensus. Si error vel dolus est circa qualitatem, est validus, sed rescindibilis (2). Excipe si qualitas sit deducta

---

(1) Consensus potest impediri ex parte intellectus per errorem, vel per dolum: ex parte voluntatis per vim, vel per metum.

(2) Ut possit in conscientia rescindi hic contractus, requiritur: 1.

in pactum quia tunc transit in substantiam contractus.

Q. *Contractus celebratus per vim estne validus?*

R. Est nullus de jure naturae.

Q. *Contractus celebratus per metum estne validus?*

R. Si metus est levis, contractus est validus. Si metus est gravis, quaestio, utrum de jure naturae tales contractus sint validi: de jure civili nostro videntur nulli, dummodo metus gravis sit injuste incussus, a causa libera, et ad extorquendum consensum (1).

Q. *Quinam possunt contrahere?*

R. Omnes qui habent usum rationis, et non sunt a jure impediti. Impediti a jure dicuntur minores, mulieres uxoratae, interdicti, et ex cod. ital. etiam inhabilitati, uti surdo-muti, coeci a nativitate.

Q. *Quinam dicitur minor?*

R. Qui nondum complevit annum XXI. Minor potest esse vel sub patria potestate, vel sub tutore, vel emancipatus.

Q. *Quid est patria potestas?*

R. Est quaedam auctoritas, quam habent parentes in filios legitimos et adoptivos, quod ad aliquos effectus (2).

---

ut error vel dolus sit antecedens: 2. ut procedat non a tertia persona, sed ab alio contrahente, quia requiritur injuria ex parte istius: 3. ut deceptus velit rescindere contractum: 4. ut contractus sit rescindibilis de sua natura; aliter enim res se habet in matrimonio sive carnali, sive spirituali, quod est indissolubile.

(1) De jure Romano erant validi, sed rescindibiles. Nulli erant autem, et sunt ipso jure canonico (concurrentibus supradictis conditionibus) contractus, qui in hoc versiculo continentur:

Tutor, Judicium, Dos, Sacrum, Copula, Votum.

Nempe auctoritas tutoris vel curatoris metu extorta in contractibus; jurisdictio per metum gravem obtenta, absolutio a censuris et earum revocatio; promissio et solutio dotis; promissio, et traditio rerum ecclesiae; matrimonium, et sponsalia; professio religiosa, electio Praelati, Beneficiorum renuntiatio, et quodlibet votum.

(2) Effectus patriae potestatis alii proveniunt a jure naturae, et sunt quod parentes curare debent educationem, instructionem, et filiorum correctionem; ideoque filii semper eis amorem, honorem, ac

Q. *Potestne contrahere filius, qui est sub patria potestate?*

R. Si est minor, non potest. Si major potest, exceptis tantum aliquibus contractibus, ut in codice (1).

Q. *Potestne contrahere filius, qui est sub tutore?* (2)

---

reverentiam exhibere tenentur. Alii a jure civili, et praecipui sunt: 1. quod pater habet administrationem bonorum filiorum minorum; 2. potest punire eos etiam carcere; 3. habet usumfructum bonorum usquedum filii non perveniant ad annum XVIII; mortuo vero patre, mater habet dimidium usufructus usque ad annum XXI filiorum; excipe, si aliqua bona sunt legata expressa conditione, ut parentes usumfructum non habeant; et excipe bona, quae filii propria industria acquirunt.

Desinit patria potestas 1. emancipatione; 2. contractione matrimonii; 3. quando filius vivit domo, et re familiari divisus a patre; 4. quando, vivente adhuc patre, filius expleverit annum XXV.

Ex Cod. it. pater, et defectu patris, mater 1. potest petere a civili tribunali, ut filii incorrigibiles coilocentur in aliquo educationis vel correctionis instituto: 2. repraesentat filios in omnibus actibus civilibus, eorumque bona administrat: 3. pro filiis acceptat haereditates cum beneficio inventarii: 4. habet usumfructum bonorum filiorum (modo secundas nuptias non contraxerit) usquedum filii emancipantur, matrimonium contrahunt, fiunt aetate majores, vel moriuntur. Excipe si bona sint filiis collata hoc pacto, ut aliquam artem aut professionem acquirant, vel ut parentes usumfructum non habeant; et excipe bona, quae filii ex militia, officio, aut propria industria acquirunt.

Dissolvitur patria potestas 1. quando filius expleverit annum XXI; 2. emancipatione, quae fieri nequit ante annum XVIII filii completum; 3. contractione matrimonii, qua minor ipso jure emancipatus evadit; 3. quando pater abutitur patria potestate, accedente sententia judicis.

(1) Hinc filiusfamilias ante annum XXV. completum sine consensu patris non potest: 1. hypothecare, alienare, aut donare immobilia propria industria non acquisita: 2. mutuum accipere, nec etiam sub aspectu alterius contractus: 3. sortes propria industria non acquisitas exigere, nec istarum debitores liberare.

Sic ex cod. it. requiritur consensus patris, matris, vel conjugis viventis in casu adoptionis; aut si filius ante annum XXV, et filia ante XXI. completum velint contrahere matrimonium.

(2) In jure Rom. filio impuberi, nempe, qui nondum expleverat an-

R. Non potest. Potest tantum sine tutore et sine judice donare in contractu matrimonii, et, si habet annos XVI (ex C. It. XVIII), testari (1). Imo nec etiam tutor nomine minoris potest aliquos contractus celebrare, uti vendere immobilia, hypothecare. In his omnibus, praeter consilium familiae, requiritur auctoritas judicis.

Q. *Si filius est emancipatus potestne contrahere?*

R. Si est major, potest. Si minor, potest tantum ea facere, quae pertinent ad simplicem administrationem, uti bona sua locare, redditus exigere, etc: ad alia vero indiget consensu patris, vel si mortuus est pater, consensu curatoris.

Q. *Mulier uxorata potestne contrahere?*

R. Si loquimur de illis bonis, quorum mulier habet proprietatem et administrationem, uti sunt bona paraphernalia, vel particularia, potest: excipe, si velit ista donare, alienare, hypothecare, quia tunc indiget auctoritate mariti. Si vero loquimur de illis bonis, quorum maritus habet usumfructum et administrationem, uti sunt bona dotalia, vel communia (2), non potest sine consensu mariti, vel judicis.

---

num XIV, vel XII si foemina, dabatur tutor post mortem patris: filio puberi dabatur curator. Nunc ablata distinctione puberum et impuberum (omnes enim sunt vel minores, vel majores) filio minori, non emancipato, datur tutor post mortem patris, ut curam habeat primario personae minoris, secundario bonorum.

(1) Et nota differentiam. Ille testari potest de medietate illius quantitatis, quam lex permittit disponere majori: hic ex cod. it. de toto.

(2) Matrimonium potest celebrari vel sub regimine dotali, vel sub communione bonorum: si 1.° modo, bona uxoratae sunt vel *dotalia*, vel *paraphernalia* (h. e. extradotalia): si 2.° sunt vel *communia*, quae ipsa dedit ad communionem, seu societatem cum viro suo ineundam; vel *particularia*, quae sunt extra communionem.

Ad bona paraphernalia spectant ea etiam, quae uxor sibi comparat singulari sua industria vel labore omnino extraordinario, adhibita rei familiaris sufficienti cura. Item ea quae accumulat aliquid subtrahendo de sibi concessis ad vestitum, recreationem, etc.

Q. *Quinam dicuntur interdicti?*

R. Illi, quibus ob imbecillitatem, vel dementiam prohibetur administratio bonorum suorum (1). Isti non possunt contrahere; datur ideo istis tutor. Item non possunt contrahere alii, ut ex. gr. prodigi sine curatore, tutores et curatores cum suis administratis, etc. velut inhabiles in casibus a lege expressis.

Q. *Quaenam dicitur forma substantialis contractus?*

R. Illa, sine qua ex dispositione juris contractus est nullus, uti praesentia parochi et duorum testium in matrimonio, praesentia notarii in donatione, etc. (2).

Q. *Quaenam res possunt esse materia contractus?*

R. Illae tantum, quae sunt in commercio, seu ea omnia quae sub hominis dominio cadere possunt, et de quibus contrahentes liberam administrationem habent; modo sint honesta, ac determinata saltem in specie (3). Etiam res futurae, seu in spe, possunt esse materia contractus, uti pisces in aliquo retis jactu capiendi. At de jure civili prohibetur omne pactum circa successionem haereditariam personae viventis: et de jure canonico prohibentur alienari immobilia et mobilia pretiosa Ecclesiae aliusve loci pii; quare nec vendi possunt, nec permutari, donari, pignori aut hypothecae subjici, ultra triennium locari, inconsulto Pontifice, sub poena excom. nem. reser. Cas. III. Const. *Ap. S.* (4).

---

(1) Huc referri possunt etiam damnati ad poenam juribus civilibus privantem, qui, si non judicialiter ut supra, certe legaliter sunt interdicti.

(2) Utrum vero contractus sine debitis solemnitatibus celebratus obliget in conscientia, quaestio est. Sed ex D. Lig. sententia probabilior, et in praxi omnino tenenda, docet in his contractibus praeferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restituendum. lib. III. n. 711.

(3) Hinc si non constat an in contractu deducatur vinum vel frumentum, contractus est nullus: et non officit quod ignoretur quantitas, modo determinari possit ex adjunctis.

(4) A DD. excipiuntur res exiguae et parum utiles, vel non pre-

De juramento contractui addito.

Q. *Quodnam juramentum opponi potest contractibus?*

R. Juramentum promissorium,et potest esse *per se stans, vel confirmans contractum.* Primum habetur, quando obligat tantum vi juramenti, seu ex virtute Religionis; quae obligatio cum sit personalis, non transit ad haeredes, et ex justa causa potest relaxari. Secundum, quando confirmat contractum et obligat tam ex justitia, nempe vi contractus, quam ex religione; quae obligatio est realis, ideoque transit ad haeredes, et relaxari nequit sine urgentissima causa.

Q. *Quibus contractibus apponitur?*

R. Juramentum *per se stans* apponitur in contractu nullo de jure naturae; vel nullo de jure positivo, quando nullitas inducta fuit sive ob bonum commune, sive ob bonum tertiae personae. Juramentum *confirmans contractum* apponitur contractui valido, et juxta aliquos etiam contractui nullo de jure positivo in gratiam ipsius jurantis; quisque enim potest cedere juri suo (1).

---

tiosae, quae non excedunt summam 50 aureorum, in cujus alienatione potest Ordinarius dispensare. At in nostra Dioecesi ex consuetudine concedi potest ab Archiepiscopo, vel ejus Vicario facultas alienandi usque ad 100 aureos. *Ultra triennium* vero, intellige *fructificationis*, ita ut si bona fructificent annuatim, locari nequeunt ultra triennium: si alternis annis, ultra sexennium: si ternis, ultra novennium: etc.

(1) Etenim contractus nullus de jure naturae, puta per vim, per errorem, aut cum ebrio, furioso, amente, non firmatur juramento; quia juramentum non mutat naturam actus.

Contractus nullus de jure positivo ob bonum commune vel tertiae personae nec etiam juramento firmatur; quia talis obligatio adimpleri nequit sine peccato, cum sit in praejudicium communitatis vel tertii. Idem dic de contractibus rescindibilibus ob bonum publicum: hinc juramenta uxorum, minorum, etc. non firmant contractus, quos ex lege ipsi possunt rescindere; secus mali homines facile eos ad illa inducerent.

Q. *Estne servandum juramentum per se stans?*

R. Maxime: quando servari potest sine peccato, et sine praejudicio tertii (1); quia juramentum non est vinculum iniquitatis.

Q. *Adsunt casus, in quibus juramentum per se stans non obligat, licet servari possit sine peccato et sine praejudicio tertii?*

R. Maxime: 1. Quando novitius disponit cum juramento de bonis suis sine licentia episcopi, et non infra duos ultimos menses proximos suae professioni; in hoc enim casu Concilium Tridentinum irritat non solum dispositionem, sed etiam juramentum. 2. Quando promissio facta in favorem tertii, nondum acceptata, habeat juramentum; nam in hoc casu, qui jurat, intendit se obligare ad non revocandam promissionem, sed postquam fuerit acceptata.

De restitutione in integrum.

Q. *Quid est restitutio in integrum?*

R. Est reintegratio prioris status. Haec habet locum in contractibus validis, sed rescindibilibus causa gravis laesionis (2).

Q. *Quinam gaudent hoc privilegio?*

R. Minores, mulieres uxoratae, interdicti, (et ex C. It. inhabilitati): maiores in casibus a codice expressis: et de jure can. Ecclesia, cuius nomine veniunt etiam omnia loca pia (3).

Contractus vero nullus de jure positivo ob bonum privatum ipsius jurantis an juramento firmetur, quaestio est. Lig. III. 177.

(1) Hinc si promisisti solvere usuras, vel dare crumenam latroni, et jurasti, debes adimplere promissionem ob sanctitatem juramenti. Potes autem postea te compensare: potes adhibere momentaneam solutionem, solvendo nempe, et statim repetendo: potes etiam petere a superiore ecclesiastico relaxationem juramenti; vel a judice, ut compellat creditorem ad relaxandam obligationem tuam.

(2) Sed in foro conscientiae quaecunque laesio obligat ad restitutionem de jure naturali.

(3) Minores privantur hoc privilegio in aliquibus casibus in codice notatis, puta, si facti maiores ratum habuerunt contractum, etc.

Q. *Quanti temporis spatium conceditur ad petendam restitutionem in integrum?*

R. In contractu emptionis et venditionis biennium: in aliis contractibus decennium (ex C. It. quinquennium), nisi aliter statutum sit. De jure can. autem assignatur quadriennium.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

De emptione, et venditione.

Q. *Quid est emptio, quid venditio?*

R. Emptio est pactio pretii determinati dandi pro merce. Venditio est pactio mercis determinatae dandi pro pretio.

Q. *Quomodo perficitur hic contractus?*

R. Mutuo consensu, determinatione mercis, et determinatione pretii. (1).

Q. *Quid est merx?*

R. Est quicquid pecunia aestimari potest, uti sunt mobilia, immobilia, jura, actiones.

Q. *Quotuplici modo merx potest determinari?*

R. Vel *in spe*, puta, vendo tibi jactum retis pro capiendis piscibus; vel *in re*, puta, vendo tibi pisces jam captos. In re potest merx determinari vel *in genere*, vel *in specie:* in genere, puta, vendo tibi decem oves de meo grege: in specie potest iterum determinari vel *in individuo*, puta, vendo tibi has decem oves; vel *ad corpus*, puta, vendo tibi hoc vini dolium decem aureis; vel *ad pondus, numerum, aut mensuram*, puta, vendo tibi totum hunc acervum tritici decem carolenis pro qualibet mensura.

Q. *Si res vendita perit, cui perit?*

R. Perit emptori, quia ipse est dominus etiam ante

(1) In jure Rom. per traditionem mercis perficiebatur hic contractus, et tunc emptor acquirebat dominium. Jure nostro non requiritur traditio, ut emptor acquirat dominium. Quare nunc Emptio-venditio definitur: Contractus onerosus, quo quis se obligat ad rem aliquam dandam, et alter ad pretium solvendum.

traditionem. Excipe, si res vendita sit in genere, quia tunc perit venditori; genus enim nunquam perit: vel si vendita sit ad pondus, numerum, aut mensuram; quia venditio haec non est perfecta, nisi prius accedat ponderatio, numeratio, aut mensuratio; ac proinde, si res pereat ante ponderationem, etc. perit etiam venditori (1).

Q. *Si res vendita est duobus, cui debetur?*

R. Si res est immobilis, debetur illi, cui prius vendita est (2): si est mobilis, debetur illi, cui prius tradita est; modo bona fide possideat (3).

Q. *Si fortasse aliquod vitium adest in merce, estne aperiendum?*

R. Praemitto: vitium potest esse vel circa substantiam, vel circa qualitatem; occultum vel manifestum; damnosum vel non damnosum. Hoc posito, si vitium est manifestum, non est aperiendum, modo emptor non sit ignarus. Si est occultum, subdistinguo: vel est circa substantiam, et est aperiendum; vel circa qualitatem, et iterum distinguo: vel est damnosum, et est aperiendum; vel non damnosum, et non est aperiendum (3); excipe si venditor sit interrogatus.

Q. *Quotuplex potest esse pretium?*

---

(1) Idem dic de venditione illarum rerum, quae ex usu praegustari soleant, uti vinum, oleum; et de venditione facta sub pacto degustationis, aut sub alia conditione propria, quia periculum penes venditorem remanet, quousque non adimpleatur degustatio aut conditio.

Si vero venditio facta sit alternativa, puta, vendo tibi hoc vel illud, et una res perit, perit venditori. Si ambae pereunt casu fortuito, extinguitur obligatio rei tradendae: si pereant culpa venditoris, iste debet solvere emptori pretium rei, quae ultimo perit.

(2) Secus dispositum erat jure Rom; semper enim debebatur illi, cui prius tradita erat.

(3) An autem secundus emptor, qui mala fide se gessit, teneatur ad damna fortasse causata primo emptori, distinguendum: si ipse induxit venditorem ad vendendam et tradendam sibi rem alteri venditam, tenetur; secus non tenetur.

(4) Attamen diminuendum est pretium pro qualitate vitii, ut per se patet.

R. Duplex: legale, et vulgare. Legale est illud, quod a publica auctoritate taxatum est, et consistit in indivisibili, ita ut non possit minui, nec augeri. Vulgare est illud, quod taxatur a communi existimatione, et potest esse supremum, supra quod vendi non potest; infimum, infra quod emi non potest; medium, supra vel infra quod vendi, vel emi potest (1).

Q. *Potestne augeri vel minui pretium vulgare?*

R. Potest augeri 1. ex multitudine emptorum; 2. ex paucitate venditorum; 3. ex abundantia pecuniae; 4. ex carentia mercis. Ex oppositis vero rationibus pretium minuitur (2).

Q. *Potestne augeri pretium vulgare praecise ob dilationem solutionis, aut minui ob anticipationem?*

R. Minime; esset enim usura. Si vero adesset titulus justus, puta, lucri cessantis vel damni emergentis, etc. potest.

Q. *Licetne emptori emere infra infimum pretium, quia venditor sit in necessitate vendendi: vel venditori vendere ultra supremum, quia emptor necessitatem habeat emendi?*

R. Minime, quia necessitas peculiaris non est titulus justus.

Q. *Potest minui pretium, si emptor emat in gratiam venditoris rem sibi non necessariam?*

---

(1) Licitum est cuique emere pretio infimo, nec infra; vel vendere pretio supremo, nec ultra; aliter peccatur contra justitiam commutativam. Si quis tamen petitus de pecunia negaret dare mutuum, sed offerret merces emendas pecunia credita, et pretio supremo, sed cum pacto sibi ipsi retrovendendi pecunia numerata, et pretio infimo, hic contractus voce hispana vocaretur *Mohatra*. Est illicitus, quia usurarius, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Si vero ex parte mercatoris adesset vera intentio vendendi, et prorsus abesset omne pactum sibi retrovendendi, esset licitus.

(2) Pretium vulgare potest etiam augeri vel minui ratione modi, quo res venditur. Sic qui minutim vendunt, possunt aliquantulo carioris vendere, quia majores facere debent labores et expensas ad res conservandas et vendendas. E contra potest emptor minoris emere, eo quod multa simul emat (vulgo all' *ingrosso*); quia venditorem liberat a multis curis, et expeditum facit ad alia nova comparanda.

R. Maxime: res enim ultronea vilescit pro tertia parte juxta aliquos Doctores.

Q. *Potest quis minori pretio emere credita?*

R. Si sunt litigiosa, potest. Si sunt certa, distinguo: si adest justus titulus, potest; secus non potest.

Q. *Potestne quis mercem suam vendere currenti pretio, si sciat brevi tempore pretium esse diminuendum?*

R. Potest, dummodo nulla fraus adhibeatur; eo enim tempore tale est pretium rei.

Q. *Si quis dicit*: vendo tibi hanc rem pretio justo, *estne valida venditio?*

R. Distinguo: si pretium rei est legale, est valida venditio: si est vulgare, est nulla; quia non est determinatum pretium.

Q. *Si determinatio pretii remittitur emptori, estne valida venditio?*

R. Minime: secus si remittitur tertiae personae.

Q. *Potestne minui vel augeri pretium rei, quae venditur sub hasta?*

R. Maxime: modo non adsit fraus vel dolus; tunc enim res incerto et fortuito pretio subjicitur.

Q. *Quibus modis potest dissolvi contractus emptionis et venditionis?*

R. 1. Per mutuum consensum; 2. per pactum retrovenditionis (1); 3. per pactum legis commissoriae (2): 4. per

---

(1) Pactum retrovenditionis posset apponi vel in favorem venditoris, et tunc res valeret minoris; vel in favorem emptoris, et tunc valeret pluris; vel in favorem utriusque, et tunc valeret aequo pretio. Jure nostro potest apponi pactum retrovenditionis tantum in favorem venditoris, sed non ultra quinquennium. Conditiones requisitae in hoc pacto retrovenditionis sunt: 1. ut non apponatur ad palliandam usuram; 2. ut emptor vere fiat dominus rei; 3. ut pretium sit iustum habita ratione gravaminis, quod imponitur; 4. ut redimatur eodem pretio, quo res vendita fuit, dummodo non adsint meliorationes.

(2) Hoc pactum habetur, quando quis ex. g. vendit hoc modo:

pactum adjectionis in diem (1); 5. per conditionem non adimpletam (2).

Q. *Dissoluto contractu emptionis et venditionis uno ex his modis, cui debentur fructus interea percepti?*

R. Si contractus dissolvitur per mutuum consensum vel per pactum retrovenditionis, fructus spectant ad emptorem. Si vero dissolvitur uno ex aliis tribus modis, videndum: si contractus celebratus est verbis directis, fructus spectant ad venditorem; si verbis obliquis, spectant ad emptorem (3).

De evictione.

Q. *Quid est evictio in hoc contractu emptionis et venditionis?*

R. Est actio emptoris contra venditorem, vel e contra, ad servandum se indemnem (4).

---

vendo tibi hanc rem cum pacto, quod si intra annum pretium non solvas, res erit inempta, seu tanquam non vendita.

At ex Codice, etiam sine pacto, quando emptor tempore praefixo non se obtulerit ad rem recipiendam, vel pretium non solverit, si agatur de re mobili, venditio de jure solvitur; si vero agatur de re immobili, potest venditor petere, ut contractus solvatur.

(1) Pactum hoc habetur, quando exprimitur in contractu, quod res non habeatur ut vendita, si intra aliquod determinatum tempus venditor maius invenerit pretium.

(2) Alii ex codice aliam addunt causam, qua dissolvi potest contractus emptionis et venditionis, nempe per vilitatem pretii, idest quando venditor (non emptor) alicuius rei immobilis laesus fuit ultra dimidium pretii. In hoc casu infra biennium venditor potest aut rescindere contractum, aut petere supplementum pretii: sed hoc pertinet ad restitutionem in integrum, de qua superius.

(3) Celebratur contractus verbis directis, quando dicitur ex. gr. res sit inempta *nunc pro tunc*. Celebratur verbis obliquis, quando dicitur *tunc pro nunc*. In primo casu venditio est nulla a principio; in secundo casu est valida, sed rescindibilis.

(4) Evictio habet locum non solum in contractu emptionis et venditionis, sed in aliis contractibus onerosis; et etiam in aliquibus contractibus gratuitis, quando nempe habent pactum de evictione,

Q. *Adsunt casus, in quibus venditor non tenetur ad evictionem?*

R. Maxime: 1. quando pactum est de non praestanda evictione; 2. quando emptor sciens esse rem litigiosam, vel periculo obnoxiam, emit se subjiciendo illius periculo; 3. quando emptor non denuntiat venditori litem motam, ut eam defendat.

De negotiatione, et monopolio.

Q. *Quid, et quotuplex est negotiatio?*

R. Est emptio rei animo postea vendendi causa lucrandi. Si res empta immutata venditur, dicitur negotiatio propria; si vero res empta aliquo modo vel forma mutata venditur, dicitur negotiatio impropria.

Q. *Estne licita omnibus?*

R. Negotiatio impropria omnibus est licita: propria vero est illicita clericis, et monachis de jure canonico (1).

Q. *Clerici negotiationem exercentes in quam poenam incidunt?*

R. In excommunicationem et suspensionem ferendae sententiae, et post trinam monitionem in amissionem privilegii immunitatis a tributo ex Trid.

Q. *Debentne restituere lucrum perceptum?*

---

vel quando donator mala fide se gessit, donando nempe rem furtivam, unde damna donatario obvenerunt.

(1) Hic nomine clericorum veniunt clerici in sacris constituti, et etiam in minoribus, si sint beneficiati: nomine porro monachorum veniunt professi; sumus enim in poenis, ideo stricte accipiendi sunt. Prohibetur etiam istis aliena praedia conducere, ut fructus inde perceptos vendant; emere jumenta, et ea aliis locare. Possunt tamen sua praedia vel jumenta locare.

Nota demum, quod negotiatio propria est istis sub gravi prohibita, sive per se, sive per alios, sive etiam alieno laici nomine eam exerceant: impropria vero est ipsis tantum licita, quando proprio manuum labore rem mutent; non quando operarios ad rem mutandam conducunt ex Const. Ben. XIV. *Apostolicae servitutis*, et Clem. XIII. *Cum primum*, etc.

R. Minime: peccant enim contra praeceptum Ecclesiae, non contra justitiam.

Q. *Estne aliquando licita clericis negotiatio propria?*

R. Maxime: 1. quando secluso scandalo, raro, et non in magna quantitate fiat; jus enim loquitur contra exercentes. 2. Quando urget gravis necessitas, puta ad familiam sustentandam; obtenta tamen dispensatione S. Sedis (vel ordinarii extra Italiam).

Q. *Quid, et quotuplex est monopolium?*

R. Monopolium est, quando unus vel plures id efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant. Potest fieri quatuor modis: 1. quando unus vel plures emunt omnes merces, ut ipsi soli vendant, quo pretio voluerint: 2. quando conspirant de non emendo vel vendendo, nisi tali pretio: 3. Quando impediunt, ne aliae merces advehantur, ut ipsi vendant merces suas majori pretio: 4. obtinendo privilegium a principe, ut soli vendant aliquam mercem. Primum et secundum sunt semper illicita; et si pretium est ultra supremum, certum est apud omnes, quod peccatur contra justitiam commutativam. Tertium, si fiat malis artibus, puta fraude vel minis, est illicitum, et contra justitiam commutativam; si fiat bonis artibus, puta precibus, est licitum, quando adest justa causa; quae si deest peccatur tantum contra charitatem, dummodo tamen pretium nunquam sit ultra supremum. Quartum est licitum, si servetur justum pretium (1).

De societate.

Q. *Quid est contractus societatis?*

R. Est quando duo vel plures aliquid contribuunt ad commune lucrum vel damnum (2).

---

(1) Si artifices conspirarent de non praestanda opera sua, nisi tali pretio, etiam esset monopolium, et illicitum. Adverte, quod instituto a venditoribus monopolio, licite possunt emptores aliud monopolium instituere de non emendo, nisi pretio infimo; vis enim vi repellitur.

(2) Potest fieri dupliciter, aut enim ambo contribuunt sortem et industriam; aut unus sortem, et alter industriam.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut societas sit licita?*

R. 1. Ut sit de re licita; 2. ut servetur aequalitas (1); 3. ut pecunia vel industria si pereat, pereat apponenti.

Q. *Potest in societate apponi pactum de casu fortuito?*

R. Minime: est usurarium, et vocatur *contractus leoninus* seu ad *caput salvum* (2).

Q. *Quinam tenetur ad damna, quae fortasse obveniunt uni ex sociis?*

R. Si obveniunt ex societate, tanquam a causa proxima, tenetur societas: si obveniunt a societate, tanquam a causa remota, non tenetur societas (3).

Q. *Expensae faciendae in societate, vel munera accepta, cui cedunt?*

R. Ad expensas ordinarias tenetur societas: munera vero, si accepta sunt intuitu societatis, sunt dividenda; secus non.

Q. *Quomodo finitur societas?*

R. 1. Elapso tempore statuto; 2. mutuo consensu; 3. peracto negotio; 4. morte alicujus socii, etiam civili, puta, si damnatus fuit ad perpetuam poenam.

Q. *Quid est contractus trinus?*

R. Est ille, in quo habetur simul contractus societatis, contractus assecurationis sortis, et contractus assecurationis lucri (4).

---

(1) H. e. in lucro et damno juxta proportionem rei et industriae; ita ut qui plus ponit sortis vel industriae, plus habeat de lucro; et qui plus accipit lucri, plus sentiat damnum.

(2) E. g. quando quis dat sortem alicui cum pacto dividendi lucrum, sorte seu *capite* semper salvo, etiamsi fortuito casu pereat. Quod si vero sors pereat culpa apponentis industriam, tunc ipsi perit.

(3) A *causa proxima*, uti esset, si socius pro defendendis societatis rebus a latronibus damnum patiatur. A *causa remota*, uti si negotiationem exercens ab inimico vulneretur.

(4) Sic ex. gr. Titius init contractum societatis cum Caio, et apud eum pro sorte deponit 100 aureos, unde sperat lucrari triginta; sed, ut evadat periculum sortis, alium init contractum, quo remissis de-

Q. *Estne licitus?*

R. Cum diversis personis est licitus: cum eadem persona, quaestio; at ex D. Lig. expedit, ut negativa sententia universe omnibus suadeatur.

De locatione, et conductione.

Q. *Quid est locatio, quid conductio?*

R. Locatio est, quando quis dat rem vel operam suam alteri quod ad usum, statuto tempore et pretio. Conductio viceversa, quando quis recipit rem vel operam alterius etc. (1).

Q. *Quaenam sunt obligationes locatoris?*

R. 1. Manifestare vitium rei, si adsit; 2. servare conductorem in re locata usque ad statutum tempus; 3. facere expensas ordinarias.

Q. *Quaenam obligationes conductoris?*

R. Solvere pensionem, et non abuti re locata (2).

De censu, et emphyteusi.

Q. *Quid est census?*

R. Est contractus, quo constituitur jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius frugifera. Qui habet jus percipiendi pensionem dicitur *censualista*: qui habet obligationem solvendi eam, dicitur *censuarius*.

Q. *Quotuplex est?*

R. Reservativus, et consignativus. Si censuarius acce-

---

cem assecurat sortem pro viginti; rursus lucrum assecurat remittendo alios octo, ita ut tribus contractibus certo sibi assecurat aur., 112.

(1) Possunt locari omnia, quae possunt vendi; prohibetur tamen jure canonico, 1. locatio domus publico usurario alienigenae; 2. locatio bonorum ecclesiae ultra triennium; 3. clericis conductio praedii causa lucrandi; 4. juxta aliquos locatio domus meretrici in ea urbis parte, ubi non est permissum.

(2) Si conductor patiatur aliquo anno sterilitatem notabilem, puta, vel totius, vel saltem medietatis fructus, est aliquid remittendum; nisi se obligaverit ad omnes casus fortuitos. Cod. civ.

pit a censualista dominium alicujus sui fundi, unde se obligavit ad pensionem ei solvendam, census dicitur reservativus. Si censuarius accepit a censualista aliquam pecuniae summam, et hinc se obligavit ad solvendam ei annuam pensionem, census dicitur consignativus (1). Insuper potest esse perpetuus, temporalis, et vitalitius.

Q. *Estne licitus?*

R. Census reservativus est licitus; dominus enim potest rem suam alienare, qua conditione voluerit. Census consignativus est etiam licitus, quando habentur istae conditiones requisitae in Bulla Nicolai V: 1. ut censualista habeat veram intentionem non mutuandi, sed emendi annuam pensionem ex alterius fundo; 2. ut fundetur in re immobili et frugifera; 3. ut pensio non excedat decem pro quolibet centenario; 4. ut apponatur pactum de redimendo, quandocunque placuerit censuario eodem pretio (2).

Q. *Quid est emphyteusis?*

R. Est contractus, quo quis dat alteri dominium utile alicujus fundi ad meliorandum, retinendo sibi dominium directum, et cum onere solvendi sibi annuam pensionem (3).

---

(1) Si in censu consignativo pensio solvenda sit tantum ex industria censuarii, census dicitur personalis: si ex aliquo fundo, dicitur realis: si ex fundo simul et industria personae, dicitur mixtus.

(2) In Bulla S. Pii V. quae apud nos non viget, requirebantur et aliae conditiones. Praecipuae erant: 1. ut census constitueretur pecunia numerata coram testibus et notario; 2. ut solutio pensionum non fieret anticipata; 3. ut ex pensionibus non solutis non posset fieri novus census; 4. ut pereunte in parte re censita, in parte periret etiam census.

Census consignativus, utpote directus in suis conditionibus a Pontificum Bullis, vocatur etiam *census bullaris*. Quia in eo censualista emit annuam pensionem pecuniariam, vel fructuariam a fundo censuarii, vocatur etiam *emptio et venditio annui redditus*. Quia in eo apponitur pactum redimendi quandocunque, vulgo dicitur etiam *Capitale a quandocunque*. At de hoc vide in Cod. *Costituzione di rendita*.

(3) Emphyteusis potest dici quaedam species census reservativi.

Q. *Qui non solvit hanc annuam pensionem, in quam poenam incidit?*

R. Si per triennium (ex C. it. biennium) non solvit, contractus dissolvitur (1): sed compensanda melioramenta.

Q. *Potest emphyteuta vendere suum dominium utile?*

R. Maxime: monito tamen ante duos menses domino directo, qui si velit emere dominium utile, est aliis praeferendus. Emptor autem dominii utilis debet solvere domino directo *laudemium*, si ita est statutum in contractu. Laudemium excedere non potest quinquagesimam partem pretii. Ex cod. it. emphyteuta potest fundum sine monitione aliis transmittere, et a pensione semper redimere: nec amplius laudemium debetur. Dominus directus autem singulo anno XXIX. potest petere recognitionem sui juris a possessore, expensis istius.

De cambio.

Q. *Quid est cambium?*

R. Est permutatio pecuniae pro alia pecunia. Potest esse *siccum* et *reale*. Cambium siccum est mutuum palliatum sub nomine cambii (2): cambium autem reale est, quando revera adest legitima permutatio pecuniae. Cambium reale subdividitur in manuale, et locale. Manuale est permutatio pecuniae alicujus speciei pro pecunia alterius speciei, puta, argentea pro aurea: locale est per-

---

Praecipua differentia inter hunc et illam est, quod in emphyteusi fundus detur ad meliorandum. Qui fundum tradit dicitur *dominus directus:* qui recipit, *emphyteuta:* pensio solvenda *canon*.

(1) Idem dic si culpa emphyteutae fundus notabiliter deterioretur. Iste vero integrum canonem solvere tenetur, non obstante quacunque insolita sterilitate aut fructuum amissione; a quo tantum liberatur, si ex integro fundus perit.

(2) E. g. Titius a campsore accipit hic 100. aureos ibidem postea solvendos cum pretio cambii solito dari pro locis distantibus. Ille, a quo cambium petitur, *campsor* vel *bancarius;* et qui illud petit, *campsarius* barbare vocatur.

mutatio pecuniae unius loci pro alterius loci pecunia; et hoc fit per literas, vulgo *cambiali*.

Q. *Estnè licitum?*

R. Reale est licitum: clericis tamen prohibitum est exercere officium cambiendi (1). Siccum vero, quum sit verum mutuum, si non adsunt tituli, est illicitum.

Q. *Quinam sunt tituli lucrum percipiendi in cambio?*

R. Pro cambio manuali: 1. conductio officinae; 2. officium cambiendi; 3. lucrum cessans; 4. Labor in conquirenda et custodienda pecunia. Pro locali: 1. translatio, et assecuratio pecuniae; 2. multa pericula, quae semper adsunt in hoc cambio, etc.

De fidejussione.

Q. *Quid est fidejussio?*

R. Est contractus, quo quis suscipit in se alienam obligationem, si debitor principalis non solverit (2).

Q. *Quinam possunt fidejubere?*

R. Omnes, qui habent liberam bonorum administrationem.

Q. *Fidejussor tenetur in conscientia solvere?*

R. Maxime: sed habet beneficium ordinis, nempe, ut prius excutiatur debitor principalis.

De assecuratione.

Q. *Quid est assecuratio?*

R. Est contractus, quo quis suscipit in se periculum rei alienae, se obligando ad illius compensationem, si res pericrit.

---

(1) Nam in Encycl. Clem. XIII. an. 1759, declaratur cambium activum sua natura esse actum verae ac propriae negotiationis; proindeque Clericos (maxime Religiosos) illud exercentes obnoxios esse omnibus poenis contra Clericos negotiatores latis.

(2) Hinc potest fidejussor aliquid exigere pro fidejussione ob periculum, quo se exponit. Fidejussio est obligatio realis, et per consequens transit ad haeredes.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur?*

R. 1. Ut res revera sit periculo exposita; 2. ut pretium sit justum, habita ratione periculi.

De ludo.

Q. *Quid est ludus?*

R. Est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit (1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur?*

R. Conditiones, quae requiruntur, ut ludus sit validus, sunt: 1. ut non adsint fraudes; 2. ut ludens sit dominus pecuniae, quam ludo exponit; 3. ut aequalis sit colludentium conditio (2). Ut ludus sit licitus, requiritur: 1. ut non ludatur unice pro lucro, sed ad animi levamen; 2. ut non consumetur multum temporis; 3. ut non exponatur ludo multa pecunia; 4. ut non sit causa peccati, vel scandali (3).

---

(1) Tres sunt ludorum species, nempe vel solius industriae, vel solius sortis, vel industriae et sortis simul.

(2) Hinc si quis ludit pecunia aliena, et perdit, collusor non potest facere suum lucrum. Si vero vincit, videndum: si collusor nesciebat pecuniam esse alienam, non potest facere suum, quod vicit: si vero collusor sciebat, potest facere suum, quia collusor videtur cessisse juri suo.

(3) Ludi alearum, seu purae sortis, de jure canonico prohibentur Clericis in Sacris aut beneficiatis, et eo magis Religiosis, qui ex D. Ligorio excusantur a peccato gravi, si *raro*, *moderate*, *et privatim sine scandalo* ipsi ludant: imo probabiliter etiam a veniali, si ita ludant recreationis causa, ubi talis prohibitio non rigide observatur. lib. III. n. 899. Idem dic de sortitione privata (*riffa*, *lotteria*) vel regia (*regio lotto*), utpote ludus merae sortis. At non idem dicendum de ludis sive solius industriae, sive industriae et sortis simul, qui Clericis non vetantur, nisi alicubi esset specialis prohibitio, et servatis conditionibus, ut supra.

Ludens porro ludo illicito peccat, sed non tenetur ad restitutionem lucri; quia peccatum non est contra justitiam: ludens ludo invalido peccat, et non potest retinere lucrum; quia non habet jus.

De sponsione.

Q. *Quid est sponsio* (vulgo *scommessa*)?

R. Est contractus, quo duo vel plures de veritate vel eventu alicujus rei contendentes sibi vicissim aliquid promittunt, ut sit ejus, qui veritatem fuerit assecutus.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur?*

R. 1. Incertitudo ex utraque parte; 2. aequalitas rei sponsae; 3. ut verba eodem sensu intelligantur ab utroque spondentium; 4. ut sit de re licita: quare non tenet, si sit circa Pontificis electionem, aut ejusdem vitam vel mortem ex prohibitione S. Pii V.

De deposito.

Q. *Quid est depositum?*

R. Est contractus, quo quis dat alteri rem suam custodiendam.

Q. *De qua culpa tenetur depositarius?*

R. Regulariter loquendo, tenetur de culpa lata. Si vero accipit stipendium, tenetur etiam de culpa levi. Si autem sponte se obtulit ad rem custodiendam, tenetur de de culpa levissima, quia videtur ad hanc se velle obligare sponte se exhibendo. Si tandem est nauta, caupo, vel stabularius, etiam tenetur de culpa levissima ex jure positivo ob praesumptionem malae fidei.

Q. *Potestne depositarius uti re deposita?*

R. Minime:nisi de expressa,vel tacita licentia domini(1).

---

(1) Tacita licentia habetur, si e. g. quis dat alteri depositum pecuniae numeratae, sed non clausae et obsignatae.

Nota. Casus fortuitus est *aliquis eventus, qui praevideri aut praecaveri non potest*: de quo non tenetur depositarius, nisi intercesserit mora, aut culpa, aut pactum.

Depositarius tenetur depositum restituere cum fructibus perceptis (nisi sint fructus industriae) statim ac a deponente petitur, et etiamsi iste non sit dominus rei. At jure civ. nostro si res furto sit ablata,

De commodato.

Q. *Quid est commodatum?*

R. Est contractus, quo quis dat alteri rem suam gratis, quod ad solum usum, cum onere restituendi eam praefinito tempore (1).

Q. *De qua culpa tenetur commodatarius?*

R. De omni culpa, quia contractus est prorsus in gratiam sui (2).

Q. *Quaenam sunt obligationes commodatarii?*

R. 1. Non excedere fines usus (3); 2. restituere rem tempore statuto; vel post usum, ad quem res fuit concessa; 3. et non repetere expensas ordinarias factas pro usu rei.

Q. *Quaenam sunt obligationes commodantis?*

R. 1. Facere expensas extraordinarias; 2. monere de vitio rei; 3. non repetere rem ante tempus, excepto casu urgentis et non praevisae necessitatis.

De promissione.

Q. *Quid est promissio?*

R. Est deliberata datio fidei de aliqua re honesta et pos-

---

depositarius monere debet dominum, ut intra determinatum et congruum tempus pro re sua reclamet; quod si dominus reclamare neglexerit, potest depositarius rem restituere deponenti.

(1) Haec est differentia inter *commodatum*, et *precarium:* in commodato definitur tempus et usus, minime vero in precario, quod dabatur ad nutum tradentis: et ideo obligabat tantum de culpa lata. In jure nostro non adhuc viget *precarium*.

(2) Quandoque potest teneri etiam de casu fortuito, quando nempe: 1. ad id expresse se obligavit in contractu; 2. vel si excedit fines usus sibi concessi, et ideo res fortuito perit; 3. vel si fuit in mora culpabili; 4. vel si poterat servare rem commodatam, exponendo rem suam.

(3) Non potest dici, quod excedat fines usus, si dum nulla extet prohibitio commondantis, rem sibi commodatam alteri ad eundem usum commodet, jus suum cedendo.

sibili. Potest esse onerosa, vel gratuita, prout imponitur, vel non aliquod onus promissario.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur?*

R. Praecipuae sunt: 1. ut adsit animus se obligandi; 2. ut sit externata, et acceptata (1).

Q. *Mortuo promissario ante acceptationem, possunt ejus haeredes promissionem acceptare?*

R. Minime: facultas acceptandi est personalis.

Q. *Mortuo promittente, possunt ejus haeredes revocare promissionem, nondum acceptatam?*

R. Quaestio.

Q. *Quomodo obligat promissio?*

R. Si promittens intendit se obligare ex fidelitate, obligat sub levi. Si intendit se obligare sub justitia, videndum: si materia est gravis, obligat sub gravi; si levis, sub levi (2).

Q. *Quomodo cessat obligatio promissionis?*

R. 1. Condonatione promissarii: 2. ingratitudine promissarii: 3. compensatione: 4. mutatione materiae, puta, si res evadat illicita, vel impossibilis; aut quando supervenit notabilis circumstantia, quae si praevisa fuisset, facta non fuisset promissio.

---

(1) Hinc si quis ficte promittit, illicite promittit, et aliquando etiam invalide. Si enim promittit sine animo promittendi, nulla est promissio: si sine animo se obligandi, quaestio an valida, semper tamen illicita: si sine animo exequendi, est illicita, sed valida, quia animus exequendi est accesssorius; et ideo tenetur promissionem adimplere.

Obligatio non contrahitur sine consensu alterius partis. Hinc promissio ante acceptationem, etiamsi jurata, non obligat, et potest revocari: utrum vero facta ecclesiae vel ad pias causas, nondum acceptata, possit revocari, quaestio; excipe si principaliter facta sit Deo, e. g. *promitto Deo dare tali ecclesiae*; quia tunc induit rationem voti.

(2) In dubio praesumitur promissionem obligare ex fidelitate, aut sub levi; quia possessio stat pro libertate. Ad constituendam vero materiam gravem in promissione requiritur, ut ipsa sit quadruplo maior, quam in furto mortali; promittens enim agit de proprio, et fur de alieno. Lig.

De donatione.

Q. *Quid est donatio?*

R. Est collatio rei licitae, nullo jure cogente, facta. Potest esse *gratuita* vel *remuneratoria*, prout fit ex mera liberalitate donantis, aut ex gratitudine ob aliquid acceptum: insuper *inter vivos*, si donans actualiter et irrevocabiliter transfert donatario dominium rei; vel *per testamentum*, quando post mortem suam vult dominium transferre, et haec est revocabilis (1).

Q. *Quinam possunt donare?*

R. Omnes, qui habent dominium, et administrationem rerum suarum (2).

Q. *Quantum potest quis donare?*

R. Donatione inter vivos, distinguo: si habet haeredes necessarios, nempe descendentes vel ascendentes, potest tantum donare suam partem disponibilem (3); si non habet haeredes necessarios, potest donare omnia bona praesentia (4). Donatione vero per testamentum potest donare etiam futura, salvis semper juribus descendentium vel ascendentium.

Q. *Donatio inter vivos legitime facta et acceptata potestne aliquando revocari?*

R. In tribus casibus: 1. per conditionem non adimple-

---

(1) Donatio tunc est perfecta, et rei donatae proprietas translata habetur (etsi nondum tradita), quando est acceptata a donatario; ideoque ipsi applicantur, quae de acceptatione promissionis dicta sunt.

(2) Hinc donare non possunt, qui contrahere et testari non valent: sicuti donationem accipere nequeunt a jure prohibiti et incapaces ad acquirendum per testamentum, V. pag. 110. et cap. *de testamentis*.

(3) Si donat ultra partem disponibilem, donatio est nulla quod ad excessum. Haeredes vero necessarii non possunt renuntiare parti, quae a lege illis assignatur.

(4) Bona futura donari possunt tantum in contractu matrimonii per donationem inter vivos.

tam; 2. ob prolem postea susceptam; 3. ob ingratitudinem donatarii (1).

Q. *Statimne revocatur donatio in hisce tribus casibus?*

R. Ob prolem postea susceptam ipso jure revocatur (2); ob alios vero casus postulari potest donationis revocatio. At ex cod. it. in omnibus tribus casibus datur tantum actio ad petendam revocationem.

Q. *Donationes inter conjuges factae suntne validae?*

R. Maxime, sed revocabiles. At ex C. It. durante matrimonio sunt nullae, nisi actu ultimae voluntatis.

Q. *Quaenam solemnitates requiruntur in donatione?*

R. Si donatio fit inter vivos, requiruntur illae solemnitates, quae requiruntur pro quolibet instrumento. Si fit per testamentum, illae solemnitates, quae requiruntur in testamentis (3).

De mutuo, et usura.

Q. *Quid est mutuum?*

R. Est contractus, quo quis dat alteri rem suam usu consumptibilem quod ad plenum dominium cum onere postmodum restituendi similem in specie, qualitate, et quantitate.

Q. *Quotuplex est?*

R. Expressum, quando aperte fiat; et tacitum, quando includitur in alio contractu, puta, quando venditur aliquid pecunia credita.

Q. *Ad quid tenetur mutuator?*

---

(1) Habetur ingratitudo donatarii: 1. si attentat mortem donantis; 2. si ei denegat alimenta; 3. si saevitias, vel alia delicta contra eum committat.

(2) Item si per subsequens matrimonium legitimetur filius naturalis, qui natus sit post donationem.

(3) Donationes, quae brevi manu fiunt sine praescriptis solemnitatibus, commune est, et ipsa civili jurisprudentia receptum, si sint libere factae inter personas habiles in parte disponibili, in utroque foro vim habere. Scavini.

R. 1. Tenetur dare mutuum gratis; 2. monere de vitio rei; 3. et non repetere ante tempus (1).

Q. *Ad quid tenetur mutuatarius?*

R. Tenetur restituere tempore debito; et in eadem specie, qualitate, ac quantitate (2).

---

(1) Nemo tenetur alteri dare mutuum. Si tamen proximus est in vera necessitate, tenetur unusquisque, si potest, ex caritate.

(2) Si mutuum acceptum est in pecunia, restituendum est in eadem specie morali. Hinc si centum accepisti in aliqua specie monetae, et postea augetur valor monetae ejusdem speciei, sufficit, ut reddas valorem centum, licet in monetis paucioribus, Excipe, si aliter juste conventum sit: puta, si mutuator eas monetas conservaturus erat usque ad tempus incrementi.

Casus. Sempronius a. 1860. mutuum accepit a Titio centum aureos (*marenghi*) sub conditione totidem in sua specie restituendi, excluso alio aere et quocunque alio pecuniae repraesentativo; imo renuntiavit beneficio legis, si quid contra statuisset; et casu quo lex talem renuntiationem non admitteret, se obligavit ad compensandum omne damnum vel auream solvendo pecuniam, vel super papyraceam addendo quantum tempore restitutionis requireretur, ut aureae juxta differentiam (aggio) aequiparetur. Lex vero an. 1866. revera praecepit usum coactivum papyraceae pecuniae, non obstante quocunque pacto praecedenti. Hinc ad animarum directionem quaesitum fuit: 1.° An simplex conditio adjecta in chirographo de restitutione non aliter, quam in sonanti pecunia facienda, vim suam amittat etiam in foro conscientiae per subsequentem legem civilem illam irritantem? et quatenus affirmative: 2.° An Sempronio hoc in casu, idest propter speciales conditiones ut supra stipulatas, tuto se possit etiam in foro interno conformare huic sibi perutili legi civili, quando haec, etiam his in adjunctis, in foro externo illi suffragasset? S. P. 21. jan. 1873 matúre consideratis propositis dubiis, respondit: *Ad 1.m regulariter affirmative, nisi peculiares obstent circumstantiae, super quibus recurrendum erit in casibus particularibus, iisdem diligenter expositis. Ad 2.m attenta qualitate pactorum, nec non attento tenore legis, de qua in casu, negative.*

Hic adverte, quod ex jure civili non habent obligationem restituendi mutuum minores, filiifamilias, aliique incapaces ad contrahendum: excipe tantum aliquem casum, puta, si creditor ostendat mutuum in filiifamilias utilitatem cessisse. Idem etiam cautum erat jure rom. ex Sénatusconsulto Macedoniano.

Q. *Quid est usura?*

R. Est lucrum proveniens ex mutuo immediate, seu vi mutui (1).

Q. *Quotuplex est?*

R. *Mentalis*, nempe, quando, nullo praevio pacto, aliquid accipitur mente usuraria. *Realis*, nempe, quando aliquid accipitur praevio pacto expresso vel tacito. Et *palliata*, nempe, quando lucrum in mutuo accipitur, sed sub veste alterius contractus, uti si quis venderet aliquam rem ultra pretium supremum, unice ob dilatam solutionem.

Q. *Quo jure est prohibita?*

R. Jure naturali, et jure positivo divino et humano (2).

Q. *Est licitum mutuare cum pacto, ut mutuatarius tibi etiam postea remutuet* (3); *vel cum pacto remittendi inimico injuriam in foro externo; vel cum pacto solvendi alteri debitum litigiosum; vel cum pacto frequentandi tuam officinam?*

R. Minime: imponere onus, ad quod non tenetur mutuatarius, est semper usurarium.

Q. *Estne licitum exigere aliquid in mutuo, tanquam debitum ex gratitudine; vel ob obligationem non repetendi mutuum ante tempus praefixum; vel quia pecunia praesens pretiosior est pecunia futura; vel ob lucrum, quod ex pecunia mutuata faciet mutuatarius?*

---

(1) Hinc si quis aliquid accipiat ex mera liberalitate mutuatarii, non est usura.

(2) In mutuo transfertur dominium rei in mutuatarium: injustum est ideo lucrum exigere ex re aliena. Idcirco habetur Luc. VI. 35: *mutuum date nihil inde sperantes*. Etsi in veteri lege Deuteronomii XXIII. 19. permittebatur usuras exigere ab alienis, hoc erat in compensationem, quam Hebraei licite facere poterant contra populos finitimos, sibi inimicos, eo vel magis, quia id eis permittebatur a Deo, qui omnium rerum habet altum dominium.

(3) Adverte, quod si mutues cum pacto, ut mutuatarius tibi eodem tempore aliquid aliud remutuet, non est illicitum; esset enim permutationis quaedam species. Esset autem illicitum, si apponeres pactum, ut remutuet tibi postea, seu alio quovis tempore, quando tu fortasse indigebis; quia in hoc casu imponeres onus mutuatario.

R. Minime: omnes istae propositiones sunt ab Ecclesia damnatae.

Q. *Adsunt tituli, ob quos sit licitum in mutuo aliquid exigere ultra sortem sine labe usurae?*

R. Maxime: et sunt lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis, poena conventionalis, et juxta plures etiam lex civilis (1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut possit aliquid accipi ratione lucri cessantis?*

R. Istae: 1. ut lucrum revera vel probabiliter cesset ratione mutui; 2. ut tantum accipiatur, quanta sit spes lucri, deductis expensis et laboribus; 3. ut lucrum non accipiatur tempore, quo mutuum datur; 4. ut moneatur mutuatarius de lucro cessante (2).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut possit aliquid accipi ratione damni emergentis?*

R. Istae: 1. ut damnum revera vel probabiliter eveniat; 2. ut eveniat ratione mutui; 3. ut tantum exigatur, quantum est damnum; 4. ut de hoc moneatur mutuatarius.

---

(1) Nam S. Sedes pluries interrogata, an ex solo titulo legis civilis permittentis aliquid ultra sortem in mutuo percipi possit? respondit, et signanter die 18. aug. 1830, tam fideles, quam confessarios hoc admittentes *non esse inquietandos;* quae verba ex D. Lig. *non meram tolerantiam, sed positivam permissionem* significant L. III. n. 765. modo parati sint stare mandatis ecclesiae, quando expressum de ea quaestione judicium ferat.

(2) Requiritur, ut mutuatarius saltem tacite et implicite moneatur de lucro cessante, ut libere consentiat ad lucrum solvendum, nec postea credat competere sibi jus compensationis.

Hic adverte, quod si quis bona fide iniit contractum mutui cum aliquo lucro moderato, dum poterat alium licitum contractum celebrare, et sic eodem modo lucrari; potest secundum aliquos retinere lucrum acceptum, quia revera ratione mutui cessat ei lucrum, quod ex contractu licite percipere potuisset. Adverte etiam, quod si quis mense Augusti vendat frumentum pecunia credita, sed eo majori pretio, quo valebit mense Januarii, non est usura, si conservaturus esset illud usque ad tempus incrementi; adest enim titulus lucri cessantis. Usura vero esset, si conservaturus non erat usque ad illud tempus.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut possit aliquid accipi rātione periculi sortis?*

R. Istae: 1. ut periculum sit extrinsecum, nempe extraordinarium, modo sit proximum et probabile; 2. ut exigatur, quantum daretur alteri pro assecuratione; 3. ut mutuatarius possit, si velit, alio modo assecurare sortem mutuanti (1).

Q. *Potest in mutuo apponi poena conventionalis, puta, ut mutuatarius aliquid ultra sortem solvat, si mutuum non restituat tempore statuto?*

R. Maxime: dummodo haec poena sit justa, et moderata; non sit apposita ad palliandam usuram; et mutuatarius sit in mora culpabili.

Q. *In quo consistit titulus legis civilis?*

R. In hoc, quod lex civilis ad impediendas lites enormesque usuras, ad fovendum commercium et industriam excitandam permittit aliquod lucrum in mutuo, uti apud nos quinque pro centum in materia civili, et sex pro centum in materia commercii. Idque nunc juxta communem DD. sententiam locum obtinet etiam in foro conscientiae ob bonum commune, quousque S. Sedes aliter non definierit. At nunquam vero hoc intelligendum est de *inte-*

---

(1) Periculum sortis potest esse vel *juris*, quum creditor in se suscipit casum fortuitum, ita ut quoties mutuum perierit sine culpa mutuatarii, ipsi mutuanti pereat: vel *facti*, quando mutuum datur alicui decocto, litigioso, negotia periculosa exercenti, etc. Pro primo semper potest aliquid recipi juxta circumstantias temporis, negotii, etc. prout evenit in foenore nautico (*cambio marittimo*); quia mutuans in se suscipit onus, ad quod non tenetur ratione mutui, sed de jure ad mutuatarium spectat: pro altero etiam potest, concurrentibus supradictis conditionibus.

Nec officit quod Gregorius IX in cap. *Naviganti de usuris*, ait: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem, eo quod in se suscipit periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius censendus est*: ex toto enim contextu eruitur, quod amanuensium incuria deest particula *non*; unde legendum est – *usurarius non censendus est.*

resse conventionali excedente taxam legalem sine justo titulo; quippe a S. Sede proscriptum die 18. aug. 1858.

Q. *In quam poenam incidunt usurarii?*

R. Usurarii occulti in nullam poenam. Notori vero incidunt 1. in infamiam: et, nisi prius satisfecerint aut cautionem dederint, 2. arcendi sunt a communione altaris, nec absolvendi; 3. eorum oblationes non possunt recipi ab ecclesiae ministris; 4. non possunt conficere testamentum; 5. privantur sepultura ecclesiastica.

Q. *Judex, qui compellit mutuatarium ad solvendas usuras vel impedit earum restitutionem peccatne?*

R. Tam judex, quam omnes communitatis officiales faventes usuris peccant graviter; sed in nullam poenam incidunt post Const. *Ap. S.* (1).

De pignore, et hypoteca.

Q. *Quid est pignus, quid hypotheca?*

R. Pignus est contractus, quo quis dat suo creditori rem mobilem ob securitatem debiti. Si res est immobilis, vocatur hypotheca.

Q. *Estne licitum apponere in pignore pactum legis commis-*

---

(1) At qui sunt causa, ut usurae solvantur, tenentur etiam secundo loco ad earum restitutionem. Hinc notarius condens instrumentum usurarium, si condit ad instantiam mutuantis, peccat contra charitatem, contra justitiam, et contra religionem si juramentum praestiterit de non condendo talia instrumenta, et in defectu mutuantis tenetur ad restitutionem. Si condit ad instantiam mutuatarii videndum: si mutuatarius habet justam causam petendi mutuum, non peccat; si non habet justam causam, peccat contra charitatem, et contra religionem ut ante, et non tenetur ad restitutionem. Idem dic de proxeneta, advocato, consulente, etc.

Quoad famulos vero: vel isti cogunt ad solvendas usuras, et probabilius tenentur ad restitutionem; vel illas simpliciter exigunt, et excusari non videntur ex sola ratione famulatus, nisi habeant aliam justam causam id faciendi v. g. metus gravis damni; vel scribunt tantum, pecuniam numerant, pignora deferunt, etc. et non peccant neque ad restitutionem tenentur, quia non proxime usuris cooperantur.

soriae, nempe, ut pignus cedat creditori, si debitor non solvat?

R. Minime: pignus enim valet pluris, quam est debitum. Si vero apponatur pactum restituendi excessum debitori, est licitum.

Q. *Potestne creditor uti fructibus pignoris?*

Q. Minime: iste contractus vocaretur *antichrisis* (vulgo: *Contratto a godere*), et esset usurarius; fructus enim spectant ad debitorem, qui est dominus.

Q. *Adsunt casus, in quibus potest?*

R. Maxime: 1. quando pignus datum fuit pro dote promissa; 2. vel quando habetur justus titulus exigendi aliquid ultra sortem in mutuo.

De testamentis.

Q. *Quid est testamentum?*

R. Est voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.

Q. *Quotuplex esse potest?*

R. Triplex: Holographum, mysticum seu secretum, et publicum (1).

---

(1) Holographum dicitur illud, quod a testatore propria manu scribitur et subscribitur cum appositione diei, mensis, et anni, in quo fuit exaratum.

Mysticum dicitur illud, quod fit scriptura vel propria manu vel aliena, et traditur notario cum sex testibus, et septem, si non est a testatore subscriptum, atque sigillis munitur. At ex C. It. quatuor testes requiruntur in utroque casu: imo si hoc testamentum a testatore est totum scriptum, ab ipso subscribi debet in fine, secus ad singulas paginas; si vero non est subscriptum, notario declarare debet testator hujus omissionis causam.

Publicum est illud, quo testator coram notario et quatuor testibus, vel duobus notariis et duobus testibus declarat, quod fieri vult post mortem suam; actum postea audiat, et subscribat, vel impotentiae causam declaret: quod si ipse est surdus omnino, illud legat; et si legere est incapax, ex cod. it. alio teste opus erit. Istae sunt praecipuae solemnitates substantiales, quae requiruntur respective in testamento, ut sit validum.

Q. *Quinam possunt testari?*

R. Omnes, qui a jure non prohibentur (1).

Q. *Quinam possunt esse haeredes?*

R. Alii sunt haeredes necessarii, nempe, descendentes et, his deficientibus, ascendentes: isti sine justa causa exhaeredationis (2) in testamento praeteriri non possunt saltem quoad legitimam. Alii sunt haeredes voluntarii, quibus testator, si vult, totam vel partem haereditatis relinquere potest, dummodo a jure non sint impediti (3).

Q. *Quid est legitima?*

R. Est pars bonorum ex lege quibusdam personis a testatore sine onere reliquenda. Haec pro descendentibus est medietas haereditatis. Pro ascendentibus est medietas illius quotae, quae illis obtigisset ab intestato (ex C. it. tertia pars haereditatis) (4).

---

(1) Prohibentur autem a jure 1.° *naturali* omnes, qui ex vitio animi vel corporis suam declarare nequeunt voluntatem: 2.° *canonico* Clerici de bonis ecclesiasticis superfluis, nisi ad pias causas; Religiosi professi; et usurarii publici: 3.° *civili* minores aetate XVI annorum (ex C. It. XVIII), interdicti ob mentis imbecillitatem, damnati ad poenam juribus civilibus privantem, et illi quos constat tempore conditi testamenti non fuisse sanae mentis.

(2) Causae, ob quas filius exhaeredari potest, sunt: 1. si filius patri alimenta negaverit; 2. si patrem furiosum neglexerit; 3. si captivum neglexerit; 4. si filia, patre contradicente, meretricium exercuerit; 5. si parentes gravi culpa offenderit. Potest Pater a filio exhaeredari non solum ob tres priores supradictas causas, sed etiam si vitae filii insidias struxerit; vel si pater matri venenum praebuerit, vel vicissim, seu alias graves injurias fecerit. At ex C. It. exhaeredatio non amplius locum obtinet: tamen indigni sunt ad succedendum, qui injuriose se habuerint erga testatorem, uti ex art. 725.

(3) De jure civili sunt inhabiles ad haereditatem vel legatum titulo gratuito doctores consulentes testamentum, medici, pharmacopolae, sacerdotes in ultima infirmitate adhibiti, filii illegitimi, qui tamen habent jus ad alimenta, tutores nondum reddita ratione gestae tutelae. Ex cod. it. incapaces sunt notarii aliive officiales testamentum recipientes, testes, tutores, filii illegitimi, etc. art. 724. 764. et seq.

(4) Filii naturales, si sint legaliter a patre recogniti, in concursu cum haeredibus legitimis sive descendentibus sive ascendentibus jus

Q. *Quomodo revocatur testamentum?*

R. Multis modis: praecipue per aliud testamentum, quod expresse prius revocat; per alienationem rei legatae; per ingratitudinem haeredis, vel legatarii (1).

Q. *An testamentum, cui desunt solemnitates extrinsecae sub poena nullitatis a lege civili praescriptae, obliget in conscientia?*

R. Quaestio. At ex D. Ligorio probabilior sententia docet praeferendum esse possessorem bonorum haereditatis, quia in dubiis melior est conditio possidentis. Unde vi talis testamenti nec haeres legitimus tenetur legata solvere, nec legatarius, si bona fide jam acceperit, illa restituere; nisi accedat judicis sententia, cui parendum est ob bonum commune. L. III. 711. 927.

---

habent ad medietatem quotae, quae illis obtigisset, si essent legitimi. Deficientibus vero legitimis haeredibus, in concursu cum aliis ad ipsos spectant duae tertiae partes quotae, ad quam jus haberent, si legitimi essent.

Adde ex C. it. Conjux legaliter non separatus ab altero, si in haereditate ipsius concurrit cum filiis legitimis, jus habet ad partem istis aequalem, sed in usufructu tantum: si cum ascendentibus, ad usumfructum IV. partis; et si nec cum descendentibus nec cum ascendentibus, ad usumfructum III. partis.

At dicta jura filiorum naturalium et conjugis detrahenda sunt ex parte disponibili, non quidem ex legitima descendentibus et ascendentibus debita.

Nota demum, quod ex probabiliori sent. juxta praeceptum charitatis et pietatis sub gravi tenemur fratribus ac sororibus graviter indigentibus relinquere, saltem quantum satis est ad ipsorum indigentiam sublevandam. Erga alios consanguineos remotiores probabilius tenemur sub levi.

(1) Qui velit plura scire de revocatione, vel de caducitate testamenti, sicut de substitutionibus, de executoribus testamentariis, etc. quae pertinent ad jus civile, consulat, si velit, quae stabilita sunt in codice.

Si quis moritur, nullo confecto testamento, ad ejus bona, si forte relinquat, succedunt ab intestato prout jus civile disponit, primo haeredes necessarii, nempe descendentes vel ascendentes, in eorum defectu alii consanguinei, primo qui sunt propinquiores, postea remotiores, ut in cod.

Q. *Quid si hujusmodi testamentum continet legata pia?*

R. Si certo constet voluntas testatoris, legata pia in conscientia obligant: secus non; quoniam in causa et materia spirituali servandum est jus canonicum, neque civiles dispositiones piis causis nocere possunt (1).

Monitum.

Circa multa alia de jure civili scienda de testamentis et successionibus, prudens confessarius semper consulere debet doctores, qui juris peritiam et exercitum habent, ne fortasse male consulens vel temere decernens in materia praecise non sua, obnoxius inveniatur oneri restitutionis.

Idem dic de aliquibus aliis contractibus, quorum valor a juris civilis dispositionibus pro tempore vigentibus maximopere pendet.

DE RESTITUTIONE.

Q. *Quid est justitia?*

R. Est constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.

Q. *Quotuplex est justitia?*

R. Triplex: commutativa, distributiva, et legalis. Commutativa est, quae inclinat hominem privatum ad reddendum alteri privato, quod ei debetur; et haec servat aequalitatem arithmeticam. e. g. qui decem furatus est, decem restituere debet. Distributiva est, quae inclinat superiorem ad distribuenda praemia; et haec servat proportionem geometricam, nempe, juxta merita subditorum.

---

(1) Hinc si testator dedisset tibi aliquid, ut tanquam pauper retineres, vel ut in pias causas distribueres, tute id faceres, etiam inscio et invito haerede. Lig. III. 923. Voluntas vero testatoris constare potest sive per verba, sive per scripturam, sive per testes, saltem duo; nam haeres non tenetur in suo praejudicio credere uni testi licet probatissimo.

Legalis est, quae inclinat subditum ad praestanda ea omnia, quae communitati debita sunt in ordine ad bonum commune (1).

Q. *Ex cujus justitiae laesione oritur obligatio restitutionis?*

R. Ex laesione justitiae commutativae, restitutio enim intendit ponere aequalitatem.

Q. *Ex laesione justitiae distributivae vel legalis oriturne aliquando obligatio restitutionis?*

R. Maxime: quando est conjuncta cum justitia commutativa, veluti si adsit pactum, promissio, etc. (2).

Q. *Quid igitur est restitutio?*

R. Est actus justitiae commutativae, quo ad aequalitatem reparatur damnum proximo illatum per injuriam (3).

Q. *Quid est injuria?*

R. Est violatio juris alieni.

Q. *Quotuplex est?*

R. Materialis, et est, quando res detinetur illaesa conscientia, uti est apud possessorem bonae fidei. Formalis, et est, quando detinetur res laesa conscientia, uti est apud possessorem malae fidei.

---

(1) Justitia vindicativa est quaedam species justitiae legalis, quatenus ad leges pertinet, ut delicta puniantur.

(2) Episcopus tenetur ex justitia distributiva conferre beneficia dignioribus : si istis non confert, laedit justitiam distributivam. Si tamen instituit concursum, et non confert digniori, tunc laedit etiam justitiam commutativam. Si vero sine concursu confert beneficium indigno, et iste damnum affert temporale suo beneficio, tunc etiam laedit justitiam commutativam ratione quasi-contractus, quem iniit cum sua ecclesia suscipiendo episcopatum, et per consequens tenetur ad damna illata ecclesiae, seu beneficio.

Judex tenetur ex justitia legali, seu vindicativa punire reum ; si absolvit, laedit hanc justitiam. Si tamen iste reus indebite absolutus pergit adhuc committere furta, homicidia, et alia delicta, tunc judex laedit etiam justitiam commutativam constituendo se concausam damni privatorum, et per consequens tenetur ad restitutionem.

(3) Restitutio differt a satisfactione; restitutio enim fit solum hominibus, satisfactio fit Deo et hominibus. Differt etiam a solutione ; restitutio enim fieri solet de eadem re, solutio de re diversa.

Q. *Quaenam injuria requiritur ad restitutionem?*

R. Sufficit injuria materialis.

Q. *Quid, et quotuplex est culpa?*

R. Est factum inconsultum, quo alteri nocetur: et duplex est: theologica, et est peccatum sive mortale, sive veniale: juridica, et est omissio debitae diligentiae, quae potest esse lata, levis, et levissima: 1.ª est quando omittitur diligentia, quam adhibere solent homines diligentes; 2.ª quando omittitur diligentia, quam adhibere solent homines diligentiores; 3.ª quando omittitur diligentia, quam adhibere solent diligentissimi (1).

Q. *Ex qua culpa oritur obligatio restitutionis?*

R. Distinguo: vel sermo est de damnificatione, et oritur ex culpa juridica; vel sermo est de contractibus, et oritur ex culpa theologica.

Q. *Ex qua culpa juridica oritur obligatio restitutionis?*

R. Videndum in cujus favorem fuit celebratus contractus: si in favorem dantis, uti est depositum gratuitum, et obligatio restitutionis oritur ex culpa lata; si in favorem recipientis, uti est commodatum, et oritur ex levissima; si in favorem utriusque, uti locatio, venditio, et oritur ex culpa levi (2).

Q. *Ex culpa theologica levi in damnificatione oriturne obligatio restitutionis?*

R. Si culpa est levis ob parvitatem materiae, uti si quis

---

(1) E. G. Si quis librum sibi commodatum relinquat absque ulla custodia ante ostium domus; en culpa *lata*. Si vero librum domi reponat, sed ostium non claudat cum clave; en *levis*. Si denique librum domi reponat et ostium claudat, sed manu non tangat, ut probet an clausum bene sit; en *levissima*.

(2) Multi auctores cum Ligorio in contractibus, praeter culpam juridicam, requirunt etiam culpam theologicam ad inducendam obligationem restitutionis in foro conscientiae; quatenus nempe diligentiae omissio sit culpabilis. Idem dic in quasi-contractibus; quare nemo obligat medicos, advocatos, confessarios ac theologos ex culpa tantum juridica ad restitutionem; nam *res, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit.*

furatur parvam quantitatem, oritur obligatio restitutionis: si vero culpa est levis ex imperfecta advertentia vel imperfecto consensu, quaestio. Qui vero volunt ex hac culpa oriri obligationem restitutionis, dicunt, restituendum esse pro rata culpae; quae rata, si est gravis, obligat sub gravi; si levis, sub levi. At communius negatur, quia actus imperfectus non potest parere obligationem perfectam.

Q. *In damnificatione quaenam requiruntur ad inducendam obligationem restitutionis?*

R. Tria: culpa theologica, damnum secutum, et causa efficax.

Q. *Adsunt casus, in quibus occasio sufficit?*

R. Maxime: quando, inspectis circumstantiis, occasio aequivalet causae; uti si dux, dum progreditur per agrum, accipit fructus, quod videntes milites ipsi etiam accipiunt cum gravi damno olitoris (1).

Q. *Adsunt casus, in quibus sine culpa theologica aliquis tenetur ad restitutionem in damnificatione?*

R. Maxime: ex dispositione juris. Sic 1. parentes vel praeceptores, seu artium magistri, vel domini tenentur ad damna illata a filiis minoribus, vel ab alumnis, vel a servis, qui sunt sub eorum vigilantia; 2. si animal alicujus infert damnum alteri; 3. proprietarius aedificii tenetur ad damna ex defectu reparationis, vel vitio constructionis. Hi tamen tenentur post sententiam judicis.

Q. *Fur tenetur ad damna causata per furtum?*

R. Maxime, etiamsi haec damna sint ignorata, modo sint praevisa saltem confuse. Ligor. lib. III. n. 618.

Q. *Quot sunt radices restitutionis?*

---

(1) Nam qui dat operam rei illicitae, ex qua praeter ejus intentionem damnum sequitur, tunc ad restitutionem tenetur, quando damnum est operi conjunctum, ita ut agens praevideat, vel praevidere possit ac debeat damnum inde secuturum; quia tunc indirecte vult illud: ideoque opus illicitum est occasio aequivalens causae damni, non vero simplex occasio.

R. Quinque: res accepta, injusta acceptio, contractus vel quasi-contractus, damnum illatum, et legis auctoritas (1).

De possessore bonae, et malae fidei rei alienae.

Q. *Quinam est possessor bonae, et quinam malae fidei?*

R. Qui retinet rem alienam illaesa conscientia, dicitur possessor bonae fidei: qui vero laesa conscientia, dicitur possessor malae fidei (2).

Q. *Quinam ex his tenetur ad restitutionem?*

R. Ambo, sed cum hoc discrimine: possessor bonae fidei tenetur ad rem, si extat; et si non extat, tenetur ad id, in quo factus est ditior (3); et si in nihilo factus est ditior, ad nihil tenetur; non tenetur ad damna; potest praescribere; et servat se indemnem. Possessor malae fidei tenetur ad rem, si extat; et si non extat, tenetur ad aequivalens; tenetur ad damna; non potest praescribere; et tenetur servare dominum indemnem (4).

---

(1) Ex re accepta tenetur possessor bonae fidei: ex injusta acceptione possessor malae fidei, et possessor dubiae fidei antecedentis; iste tamen tenetur pro rata dubii: ex contractu vel quasi-contractu contrahentes: ex damno illato delinquentes: et ex legis auctoritate, qui etiam sine proprio facto ex lege ad restitutionem obligantur.

(2) *Illaesa conscientia* h. e. sine peccato, quia prudenter credit rem esse suam. *Laesa conscientia* h. e. cum peccato, quia scit, vel scire potest et debet rem esse alienam.

(3) Dicitur factus ditior, quando quis pepercit bonis suis, vel quando reperitur plus possidere ex re aliena. Hinc si Titius donavit Cajo vas aureum alienum a se bona fide possessum (quod nisi habuisset, nihil donasset) ad nihil tenetur; quia in nihilo factus est ditior: Cajus tamen tenetur, si nondum praescripsit, quia res clamat ad dominum, et quia ipse factus est ditior. Si Maevius sumpsit de prandio furtivo bona fide, tenetur ad id, quod consumpsisset in domo sua: si mala fide, tenetur ad esum: si autem participavit in actione furti, tenetur in solidum.

(4) *Ad damna*, nempe, domino eventa et lucra cessata. Ad quae tenetur etiam possessor bonae fidei 1.° quando veniendo in malam

Q. *Si res perit, cui perit?*

R. Si perit apud possessorem bonae fidei, domino perit: si apud possessorem malae fidei, ipsi perit; excipe si eodem modo res periisset apud dominum. Idem dic, si res deterioratur.

Q. *Si res melioratur, cui melioratur?*

R. Tam si est apud possessorem malae fidei, quam bonae fidei, semper domino melioratur, deductis tamen laboribus, industria, et expensis, quae ab utroque possunt retineri (1).

De restitutione fructuum.

Q. *Quotuplicis generis sunt fructus?*

R. Naturales, quos ipsa natura sine ullo vel cum parvo labore producit, ut lac, lana, foetus pecudum: industriales, qui proveniunt ex industria hominum, ut fructus pecuniae negotiationi expositae: mixti, qui nascuntur ex re et industria, uti vinum, oleum: civiles, qui proveniunt ex occasione alicujus rei, puta pensiones, pretium locationis.

Q. *Quinam tenetur ad restitutionem fructuum?*

R. Ad fructus industriales nemo tenetur; hi enim sunt ejus, qui industriam posuit. Ad fructus mixtos, qua parte sunt industriales, tam possessor bonae quam malae fidei non tenetur: qua parte vero sunt naturales, sicut etiam ad totos fructus naturales et civiles, ambo tenentur, servato tamen discrimine, quod semper intercedit inter possessorem bonae et malae fidei, prout supra dictum est; nam *res quae fructificat, domino fructificat.* Sed ex cod.

---

fidem culpabiliter non restituit: 2.° quando est haeres universalis possessoris malae fidei, quia tunc defuncti personam repraesentat: 3.° ratione evictionis.

(1) Possessor vero dubiae fidei est ille, qui incipit possidere cum dubio, aut post possessum incipit dubitare an res aliena sit. In 1.° casu dicitur possessor dubiae fidei antecedentis; in 2.° dubiae fidei consequentis. Sed vide in tract. *de conscien.* pag. 22.

civ. possessor bonae fidei facit suos fructus perceptos, si uti proprietarius ex justo titulo possideat (1).

Q. *Possessor malae fidei tenetur ad fructus non perceptos, quos dominus percepisset, si res fuisset apud se?*

R. Maxime: dummodo dominus non percepisset ex peccato, puta per usuram, ex injusta negotiatione, etc. (2).

De expensis factis a possessore bonae, vel malae fidei.

Q. *Quotuplicis generis sunt expensae?*

R. Aliae sunt necessariae, sine quibus res periret; aliae utiles, quibus res redditur fructuosior; aliae voluptuosae, quae serviunt tantum ad ornatum.

Q. *Possuntne retineri expensae tam a possessore bonae quam malae fidei?*

R. Necessarias, et utiles ambo possunt retinere. Voluptuosas, quando non sunt separabiles, et in nullam cedunt utilitatem domini, non possunt (3).

---

(1) In D. N. debitores locorum piorum, si intra mensem, etiam extrajudicialiter, requisiti a rectoribus, procuratoribus seu administratoribus dictorum locorum redditus et census non solverint, incidunt in casum Ord. reser. sine censura. C. 5.

Heic vero nota, quod loca pia stricte sumuntur, nempe illa, quae Episcopi auctoritate sunt erecta ac destinata officiis charitatis vel religionis exercendis, puta ecclesiae, monasteria, hospitalia, etc. Insuper requisitio fieri debet tempore debito (*a tempo del maturo*); aliias habetur tanquam non facta: hinc si debitores, requisiti ante tempus, intra mensem non solverint, non incidunt: item si requisiti tempore debito sint phisice vel moraliter impotentes ad solvendum; aut a rectoribus, etc. dilationem obtinuerint, nec etiam incidunt; ubi enim deest peccatum, deest quoque reservatio peccato adnexa.

(2) *Ex peccato*, intellige quando peccatum, seu injustitia, est causa eorum. Secus vero dicendum si percepisset *cum peccato*, quando nempe peccatum comitatur tantum fructuum perceptionem, puta per locationem domus factam meretrici contra Ecclesiae prohibitionem; nam ad istos fructus percipiendos dominus jus habet, quamvis peccet; ideoque possessor malae fidei tenetur.

(3) Hinc si expensae utiles excedunt aestimationem et valorem u-

Q. *Quid si dominus sine expensis meliorasset rem suam, si apud se fuisset?*

R. Possessor bonae fidei habet jus illas exigendi, quia potest servare se indemnem; secus possessor malae fidei, quia servare debet dominum indemnem.

De tempore, loco, et expensis, quibus facienda est restitutio.

Q. *Quo tempore facienda est restitutio?*

R. A possessore bonae fidei, quando venit in malam fidem; a possessore malae fidei a principio. De restitutione vero facienda ex contractu, videndum: si tempus fuit statutum in contractu, tempore statuto; si non fuit statutum, quando dominus petit; si vero dominus ob timorem vel oblivionem non petit, quanto primum (1).

Q. *Quo loco facienda est restitutio?*

R. A possessore bonae fidei, ubi res extat; a possessore malae fidei, ubi dominus extat; ille enim indemnem servat seipsum, iste dominum. De restitutione facienda ex contractu, videndum: si locus fuit definitus in contractu, loco definito; secus loco contractus.

Q. *Cujus expensis facienda est restitutio?*

R. A possessore bonae fidei fieri debet expensis domini; a possessore malae fidei expensis suis ex supradicta ratione (2). Si loquimur de restitutione facienda ex contractu, videndum in cujus favorem est factus contractus: si in favorem dantis, ut in deposito gratuito, expensis

---

tilitatis, qua parte excedunt, censendae sunt uti voluptuosae, et dominus non tenetur ad illas.

(1) Regulariter loquendo non est absolvendus debitor, nisi prius restituat, quando ipsi restitutio est moraliter possibilis; nam satis est experientia compertum debitores rarissime post absolutionem restituere. Excipe, si confessarius prudens deprehendat debitorem sincere paratum esse restituere, cum primum poterit.

(2) Si expensae faciendae ad aliquid restituendum excederent valorem rei, puta, quia locus esset valde distans, possessor malae fidei potest differre hanc restitutionem.

dantis; si in favorem recipientis, uti in commodato, expensis recipientis; si in favorem utriusque, expensis utriusque.

Q. *Facta restitutione, estne denuo facienda, si res non pervenerit in manum domini?*

R. A possessore bonae fidei, si adhibuit diligentiam, non est denuo facienda; secus a possessore malae fidei ex eadem praedicta ratione (1). Si vero loquimur de contractu, videndum: vel sermo est de contractu transferente dominium, uti est mutuum, et denuo facienda est restitutio; quia usquedum res non perveniat in manus domini, mutuatarius est dominus: vel loquimur de contractu non transferente dominium, uti depositum, commodatum, et adhibita diligentia, si res non pervenit in manus domini, non est denuo facienda restitutio; nam res, quae perit sine culpa possessoris, domino perit.

De concausis restitutionis.

Q. *Quot sunt concausae restitutionis?*

R. Novem, quarum primae sex sunt positivae, ultimae tres negativae, et continentur in his versiculis:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Q. *Quid venit per verbum* jussio?

R. Venit mandatum. Mandatum est contractus, quo quis gratis, vel pretio in se suscipit onus aliquid faciendi in gratiam alterius (2).

Q. *Mandans ad damnificandum teneturne, secuto damno?*

R. Si revocavit mandatum, et revocatio innotuit man-

---

(1) Si tamen possessor malae fidei dedit rem personae electae a judice vel ab ipso domino, nec etiam ipse tenetur.

(2) Mandatum potest esse expressum, quod fit expressis verbis; et tacitum, quod habetur signis, vel factis. Insuper generale, et est quod ad omnia negotia; particulare, et est quod ad aliquid. Cessat vero mandatum vel revocatione mandantis, vel renuntiatione mandatarii, vel morte alterutrius.

datario ante damnum illatum, non tenetur ad restitutionem (1): secus tenetur, et oppositum fuit damn. ab Innoc. XI.

Q. *Qui ratum habet damnum alteri illatum, teneturne ad restitutionem?*

R. Minime, quia ratihabitio non influit in actionem.

Q. *Mandans tenetur ad damna causata mandatario?*

R. Si mandans est superior mandatario, tenetur; nam supponitur mandatarium, utpote subditum, quasi coactum esse ad exequendum mandatum. Si non est superior, distinguo: si mandans dedit mercedem mandatario ad exequendum mandatum, non tenetur; secus quaestio (2).

Q. *Quinam veniunt per verbum* consilium?

R. Veniunt omnes, qui consulunt, hortantur, instruunt ad damnum inferendum.

Q. *Revocato consilio, tenetur consulens, an solus consultus ad damna secuta?* (3)

R. Tenetur etiam consulens, quia intellectus semel in-

---

(1) Si mandatarius excedit fines mandati; tunc si excessus non potuit praevideri, sed accidit ex malitia mandatarii, mandans non tenetur ad excessum; aliter tenetur, quia ipse est causa totius damni.

Si mandans sufficientibus et claris signis revocavit mandatum, et mandatarius existimavit fictam revocationem, mandans non tenetur; quia tunc sola malitia mandatarii videtur esse causa damni.

Si mandans revocavit mandatum, et revocatio innotuit mandatario, qui tamen oblitus revocationis exequitur mandatum, mandans adhuc tenetur; quia vi mandati damnum infertur.

(2) At rectius dicendum non teneri; si enim mandatarius voluntarie tali periculo se exposuit, volenti et consentienti nulla fit injuria. Excipe, si mandatum fuerit dolo datum, ad hoc nempe, ut damnum mandatario evenisset, et iste egerit bona fide; quia tunc damnum est a mandante directe volitum et intentum.

(3) Apud latinos per ly *consulens* venit, qui petit consilium: per ly *consultus* ille, a quo petitur consilium. Apud morales theologos passim, minus latine, per ly *consulens* venit, qui dat consilium, et per ly *consultus*, qui petit et accipit consilium. Ne a consueto hujus facultatis dicendi modo discreparemus, hoc sensu et a nobis usurpantur. Advertat, et ignoscat lector.

structus difficile dimovetur. Excipe, si consulens validis rationibus revocavit suum consilium (1).

Q. *Qui dedit pravum consilium ad damnificandum alteri, teneturne ad damna causata ipsi consulto in executione pravi consilii?*

R. Minime: quia consilium datur in gratiam consulti, et per consequens consultus sibi imputet talia damna.

Q. *Qui suadet minus malum parato ad inferendum majus, teneturne ad restitutionem?*

R. Minime: quia potius dissuadet, quam suadet; dummodo non sit contra aliam personam.

Q. *Qui dat consilium non in damnum tertii, sed vergens in malum ipsius consulti, teneturne ad damna isti obvenientia?*

R. Si est persona privata, tenetur tantum si hoc consilium dederit ex dolo: si vero est persona publica (2), tenetur de culpa lata; si autem accepit stipendium, tenetur etiam de culpa levi.

Q. *Quinam veniunt per verbum consensus?*

R. Veniunt omnes, qui efficaciter adprobant, vel dant suffragium ad damnum inferendum.

Q. *Teneturne ad restitutionem qui subscribit iniquae sententiae, postquam major pars suffragiorum jam data est?*

R. Distinguo: si suum suffragium erat necessarium ad confirmandam iniquam sententiam, tenetur; si non erat necessarium, subdistinguo: vel ipse egit ex conspiratione cum prioribus judicibus, et tenetur; secus non tenetur, quia non influit in damnum. Advertendum tamen est, quod judex, qui potest alios dissuadere a dandis iniquis suffragiis, et hoc omittit, tenetur tamquam concausa negativa(3).

---

(1) Revocato mandato, mandans liberatur ab onere restitutionis, quia cessat tunc tota ratio agendi, nam mandatum adimpletur in gratiam mandantis: secus in consilio.

(2) Persona publica dicitur illa, quae profitetur peritiam in illa re, de qua consulitur, puta medicus, advocatus.

(3) Idem dic de illo, qui per suffragium ad legem injustam concurrit, vel ad indignam electionem, etc.

Q. *Quinam venit per verbum* palpo?

R. Venit qui adulatione vel vituperatione alium inducit ad inferendum alteri damnum. Iste, si praevidit vel praevidere potérat hoc damnum, utique tenetur ad restitutionem.

Q. *Quinam veniunt per verbum* recursus?

R. Veniunt omnes, qui favent (1), vel receptant furem vel furtum. Isti quidem tenentur ad restitutionem. Si tamen aliquis receptat furem, non ut fur evadat animosior, sed ut effugiat periculum mortis, vel aliquo honesto fine, puta consanguinitatis, amicitiae, etc. non peccat nec tenetur ad restitutionem. Verum, si potest, debet furtum restituere domino; quia res ad ipsum clamat.

Q. *Quinam venit per verbum* participans?

R. Venit ille, qui participat in re injuste accepta, vel in actione causante damnum.

Q. *Ad quid tenetur participans?*

R. Si participavit in re, tenetur ad rem, velut possessor bonae vel male fidei. Si participavit in actione, tenetur in solidum (2).

---

(1) Hinc magnates, qui vident suos sublitos, famulos, etc. patrare delicta ob suam protectionem, et eos non impediunt, ad restitutionem tenentur; quia protectione sua efficax sunt damni causa.

(2) Hic adverte, quod duplici modo potest quis participare in actione damnificativa, vel per concursum materialem, vel per concursum formalem. Si participavit per concursum materialem, non tenetur ad restitutionem: si per concursum formalem, tenetur. Hinc si Titius praebet instrumenta latroni ad furandum, ne occidatur vel ne vulneretur, non tenetur ad restitutionem. Si famulus, ne torvis oculis aspiciatur, vel ne expellatur a domo, sustinet scalam domino ad stuprandam virginem, peccat, et tenetur ad restitutionem, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI.

Dicitur vero *in solidum* h. e. totum damnum simul illatum resarcire, ideo etiam partem aliorum si non restituant. Advertendum tamen cum D. Lig. quod rudes etsi teneantur in solidum, raro in praxi expedit eos obligare ad totum; cum difficulter isti sibi persuadeant se teneri ad restituendam etiam partem a sociis ablatam: quo

Q. *Quinam veniunt per* mutus, non obstans, non manifestans?

R. Veniunt illi, qui ex officio, seu ex justitia tenentur clamare, impedire, manifestare, ne damnum alteri obveniat; et non clamant, non impediunt, nec manifestant: isti utique tenentur ad restitutionem (1).

Q. *Quid de servo, qui videt furari bona domini sui, et non clamat?*

R. Vel fur est extraneus, et servus non clamat, tenetur, quia ad id se obligavit per famulatum. Si fur est domesticus, videndum: si furatur bona servo peculiariter concredita, iste debet impedire, et non impediendo tenetur ad restitutionem; si non sunt bona ei peculiariter concredita, non tenetur.

Q. *Custodes saltuum et vectigalium, si injustas fraudes non impediunt, tenentur ad restitutionem?*

R. Maxime: ad mulctam tamen a fraudatoribus debitam non tenentur, quia dominus vel princeps ad hanc acquirit jus post judicis sententiam.

Q. *Quid de confessario, qui non obligat poenitentem ad restitutionem faciendam?*

R. Videndum: vel habet se negative, nempe tacendo, et non tenetur, quia non est obligatus ex justitia commutativa monere; si vero positive se habet, nempe deobligando, iterum distinguo: vel facit ex inadvertentia, ignorantia inculpabili, et non tenetur, quia non adest culpa requisita ad inducendam obligationem restitutionis in damnificatione; secus tenetur. Idem dic, si obligavit ad restitutionem eum, qui restituere non debebat.

---

in casu sunt bona fide relinquendi, ut nempe restituant quantum illis conscientia dictat. L. III. 579.

(1) Hinc si quis non obligatus ex officio potest clamare et impedire damnum tertii, et non clamat ex odio, peccat contra charitatem, sed non tenetur ad restitutionem. Si quis vero non clamat, quia accepit decem a fure, videndum: si accipiendo decem ipse reddidit furem animosiorem, tenetur ad id, quod fur non rapuisset; sed rapuit, quia factus est animosior. Insuper videndum, si decem sunt pars furti, tenetur ad acceptum; secus potest retinere.

De ordine servando in restitutione quod ad concausas.

Q. *Quinam ordo est servandus in restitutione quod ad concausas?*

R. Distinguo: vel loquimur de actione lucrativa, nempe de furto, et primo tenetur ille apud quem res extat, secundo loco alii cooperantes eo ordine, de quo mox dicetur; vel loquimur de actione damnificativa, puta homicidio, incendio, etc. et primo tenentur concausae positivae, postea concausae negativae. Et inter concausas positivas primo tenetur mandans, in defectu mandantis mandatarius. In consilio tenetur primo consultus, in defectu consulti consulens: et sic de caeteris concausis, primo tenentur concausae magis principales, in defectu earum concausae minus principales (1).

De obligatione restitutionis ob injustum impedimentum boni alieni.

Q. *Quotuplici modo potest quis consequi aliquod bonum?*

R. Vel ex justitia, vel ex liberalitate collatoris.

Q. *Quotuplici modo potest quis impediri a consecutione alicujus boni?*

R. Juste, vel injuste. *Juste*, quatenus inhabilis aut indignus: *injuste* sine justa causa, per fraudem, calumniam, etc.

Q. *Qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni, tenetur ad restitutionem?*

R. Distinguo: vel illi debebatur ex justitia, et tenetur ad restitutionem, sive impediat bonis sive malis arti-

---

(1) Si vero praedictae concausae sint eiusdem conditionis, et tunc, si egerunt ex conspiratione, aut singulae in totum damnum concurrerunt, tenentur in solidum; secus tenentur ad partem tantum pro rata influxus.

Nota tamen quod causa principalis semper restituere tenetur; hinc si alia causa subordinata restituat, ipsa totum isti refundere debet.

bus; vel debebatur ex liberalitate collatoris, et subdistinguo: si impedit bonis artibus, non tenetur, quia in hoc casu bonae artes non laedunt voluntatem collatoris, neque jus alienum; si vero malis artibus, tenetur ad restitutionem, quia quisque habet jus, ne malis artibus ab alio laedatur (1).

De restitutione rei acceptae ob turpem causam.

Q. *Acceptum ob turpem causam, seu peccatum, estne restituendum?*

R. Vel loquimur de iis, in quibus lex inhabilitat, uti est simonia, usura etc. et semper est restituendum. Vel loquimur de iis, in quibus lex non inhabilitat, et subdistinguo: si est ante factum, est restituendum; si post factum, probabilius non est restituendum (2).

Q. *Acceptum a judice est restituendum?*

R. Distinguo: vel accepit pro sententia injusta, et si nondum protulit sententiam, debet restituere; si vero jam protulit sententiam injustam, potest retinere, sed tenetur

---

(1) Malae artes sunt mendacia, dolus, detractiones, etc. bonae artes sunt preces, mediationes amicorum, etc.

Hinc si quis impedit adimpletionem promissionis factae alicui, videndum: si promissio erat jam acceptata, sive bonis sive malis artibus impediat, tenetur ad restitutionem: si promissio nondum erat acceptata, si impedit bonis artibus, non tenetur; si malis artibus, tenetur. Si impedit aliquem a consecutione alicujus beneficii per manifestationem delicti occulti, videndum: si manifestavit delictum, quod reddebat eligendum indignum de jure, quomodocunque manifestatio sit facta, non tenetur; si vero delictum non reddebat eligendum indignum, iterum videndum: si manifestavit collatori, non tenetur; si aliis ad quos non pertinebat, et collator praecise ob infamiam beneficium non confert, tenetur.

(2) Hinc si Petrus accepit aliquid a Titio, ut occidat inimicum suum, debet, quod accepit, restituere et inimicum non occidere. Si autem jam occidit, potest retinere. In quocunque enim contractu oneroso lex naturae dictat, quod cum quis partem suam praestiterit, teneatur et alter implere suam. Ligor. III, 712.

ad damna. Vel accepit pro sententia justa. et videndum: si quod accepit, est taxatum a lege, potest retinere; secus non potest, quia deest titulus.

Q. *Meretrix potest retinere pretium, quod accepit fortasse a religioso?*

R. Minime, etiamsi religiosus hanc licentiam habeat a superiore, nulla enim esset licentia; debet ideo restituere monasterio (1).

Q. *Uxor vel filia si turpiter agunt, debentne marito vel patri tradere, quod acceperunt?*

R. Minime: quia odiosum.

De obligatione restituendi ratione facinorum aliis damnum causantium (2).

Q. *Ad quid tenetur, qui alterum occidit vel vulnerat?*

R. Tenetur ad damna causata ex vulnere vel homicidio (3).

Q. *Quibus haeredibus debet homicida restituere?*

R. Vel loquimur de damnis causatis ante mortem occisi, et tenetur erga haeredes tam necessarios, quam voluntarios: vel loquimur de damnis, quae sequuntur post mortem, et tenetur tantum erga parentes, filios, et conjugem, quia isti habent jus; excipe cum Ligorio, si isti alimenta congrua habeant, quia tunc non patiuntur damnum.

Q. *Si occisus ante mortem occisori condonavit debita, tenetur adhuc occisor?*

R. Ex Ligor. lib. III. n. 630. non tenetur, quia sicut fi-

---

(1) Idem dic de quacunque alienatione ad alios illicitos usus a Religioso facta.

(2) Heic in primis nota, quod hujusmodi obligatio est realis; ideoque nisi adimpleatur, mortuo damnificatore, transit ad suos haeredes.

(3) Dixi ad damna causata ex vulnere, etc. nam pro vita vel pro vulnere ad nihil tenetur, cum damnum sit in bonis superioris ordinis, quae pretio aestimari non possunt: sic nec etiam tenetur ad sumptus funebres, quia isti aliquando semper erant faciendi; nisi forte occasione illius necis, e. g. extra patriam, majores fieri oportuerit.

lii per patrem acquirunt jus, sic etiam per patrem amittunt: pater tamen non recte faceret, si filii valde egeant. Facta autem remissione injuriae, non intelligitur facta remissio damnorum.

Q. *Occisor tenetur solvere debita creditoribus occisi?*

R. Aliqui absolute affirmant: alii vero docent teneri, quando sciebat haec debita, et occidit animo directe nocendi creditoribus. Vide Ligorium lib. III. n. 634.

Q. *Qui occidit aliquem in duello tenetur ad damna?*

R. Aliqui affirmant de provocante. Alii vero dicunt, quod tam si occisus sit provocans, quam si provocatus, occisor non tenetur, quia qui duellum acceptat, cedit juri suo quod ad damna temporalia. Vide Ligorium lib. III. n.638.

Q. *Si quis volens occidere Cajum, per errorem occidit Titium, tenetur ad damna causata ex occisione Titii?*

R. Aliqui affirmant; alii vero negant, quia homicidium respectu Titii est mere casuale et involuntarium. Ligor. lib. III. n. 628 (1).

Q. *Ad quid tenetur, qui virginem defloraverit?*

R. Si dissentientem per vim vel per fraudem defloravit, tenetur ad damna ipsi et parentibus causata: si consentientem, ad damna ipsi causata non tenetur; ad damna vero causata parentibus aliqui dicunt teneri, alii vero communius negant. Vide Ligorium lib. III. n. 641, § 1.

Q. *Ad quid tenentur adulteri?*

R. Si ex adulterio oritur proles, tenentur alere prolem, usque dum proles possit sibi de alimentis providere, et tenentur etiam ad omnia damna in solidum causata marito, vel aliis consanguineis.

Q. *Si dubitetur utrum proles sit mariti, vel adulteri?*

---

(1) Eodem modo, dicit idem Ligorius, qui vult incendere domum inimici, et per errorem incendit domum amici, non tenetur ad damna; ad obligationem enim restitutionis in damnificatione requiritur injuria formalis et materialis, seu affectiva, in qua consistit ratio causae cum culpa theologica, et effectiva, in qua consistit damnum secutum; harum una si desit, non adest obligatio restitutionis. Et licet in jure civili oppositum caveatur, valet id pro foro externo. III. 629.

R. Aliqui dicunt teneri pro rata dubii : alii vero dicunt ad nihil teneri, quia possidet matrimonium, et filius legitimus reputatur. Vide Ligorium lib. III. num. 657.

Q. *Adultera, si non potest alia via compensare damna filiis legitimis, debetne se prodere spurio?*

R. Minime: esset opus inutile; filius enim non tenetur credere matri.

Q. *Ad quid tenentur, qui per detractionem vel per contumeliam alteri inferunt damnum?*

R. Tenentur ad damna temporalia, et ad famam restituendam.

Q. *Qui falso aliquem accusavit, propter quod damnatus est ad mortem, teneturne manifestare falsitatem etiam cum periculo vitae?*

R. Maxime: dummodo sit profutura manifestatio, quia melior est conditio innocentis.

Q. *Quibus ex causis aliquis excusatur a restitutione famae?*

R. 1. Ex impossibilitate physica vel morali; 2. ex condonatione obtenta; 3. quando infamatus, vel diffamatus jam famam recuperavit; 4. quando ex oblivione infamia deleta est; 5. quando delictum alia via fit publicum.

Q. *Qui manifestat secretum aliquod, et inde proximo damna obveniunt, tenetur ad damna?*

R. Maxime : quando manifestatio fuit illicita (1).

De personis, quibus facienda est restitutio.

Q. *Si res accepta est a possessore non domino, cui restituenda est?*

R. Distinguo : si possidebat illam rem justo titulo, puta ratione commodati, illi restituenda est, quia habet jus sic possidendi; et idem dicendum, si dubitatur utrum justo titulo possidebat, quia melior est conditio possidentis. Si vero injusto titulo, puta ratione furti, restituendum est

(1) Quando liceat vel non manifestare secretum, consule quae dicta sunt de secreto in tractatu *de peccatis*.

domino; monendus tamen fur, si fieri potest, ne perseveret in peccato (1).

Q. *Cui restituenda est res, si dominus mortuus sit?*

R. Haeredibus, et eorum defectu pauperibus.

Q. *Cui restituenda sunt bona incerta?* (2)

R. Adhibita diligentia et domino non invento, pauperibus; et si postea compareat dominus, non est denuo facienda restitutio, quia non culpabiliter se gessit, qui post diligentiam ea bona pauperibus applicavit (3).

Q. *Cui cedunt bona vacantia?* (4)

R. Fisco.

De ordine servando in restitutione facienda, quando bona defuncti non sufficiunt.

Q. *Quinam ordo in hoc casu servandus est?*

R. Si in haereditate extat in specie aliqua res, cujus dominium translatum non sit, haec est restituenda domino, ad quem clamat. De reliquis bonis vero prius solvenda sunt debita certa, postea incerta. Inter debita certa prius solvenda sunt debita ex titulo oneroso, postea ex titulo gratuito. Inter debita onerosa prius solvenda sunt

---

(1) Si tamen titulo oneroso, puta contractu emptionis, accepisti aliquid a possessore non domino, potes illi restituere, ut pretium recuperes; neque injuriam facis domino reponendo rem in statu, in quo prius erat, quia non teneris cum tua jactura servare rem domino.

(2) Bona incerta sunt illa, quae habent dominum, sed ignotum.

(3) Ex cod. it. res inventa statim syndaco tradi debet publico notificanda, quae, elapso biennio et domino non comparente, habetur uti derelicta, et est inventoris.

(4) Bona vacantia dicuntur illa, quae post mortem suam aliquis relinquit, sed nullus extat haeres. Huc etiam accedunt 1.° *bona derelicta*, quae, nempe, a domino abijciuntur animo non habendi; et haec sunt primi occupantis: 2.° *thesaurus*, qui est vetus depositio pecuniae vel rei similis, cujus domini non extat memoria; et hic ex cod. civ. si inveniatur in proprio fundo, totus est inventoris; si autem casu inveniatur in alieno fundo, dividendus est per medietatem inter inventorem et dominum fundi.

debita privilegiata, uti sunt expensae ultimae infirmitatis, funerum, et alia, quae notantur in codice civili; postea debita hypothecaria ordine ab eodem codice statuto: denique aliis creditoribus pro rata crediti (1).

De causis, quibus suspenditur obligatio restitutionis.

Q. *Quaenam sunt causae, quibus suspenditur obligatio restitutionis?*

R. Istae: bonum creditoris; damnum debitoris vel proximi impotentia; et cessio bonorum.

Q. *Depositarius tenetur restituere pecuniam, vel ensem domino petenti, si scit certo esse abusurum illa vel isto?*

R. Minime: quia in hoc casu restitutio esset in damnum alterius, et dilatio in bonum creditoris (2).

Q. *Tenetur quis restituere cum jactura boni superioris ordinis?* (3)

R. Minime: dominus enim esset irrationabiliter invitus.

Q. *Casus a proprio statu estne causa suspendendi restitutionem?*

R. Vel cadit a proprio statu juste acquisito, et est causa differendi restitutionem; dummodo idem periculum non immineat creditori, in quo casu melior esset conditio cre-

---

(1) Nota. *Res quarum dominium non transfertur* sunt bona oppignorata, commodata, deposita, furtiva, etc. *Debita certa* illa, quorum domini cognoscuntur; *incerta*, si ignorantur: *ex titulo oneroso*, quae proveniunt sive ex contractu, puta mutuo, venditione, etc. sive ex delicto, puta furto, stupro, etc: *ex titulo gratuito*, votum, legatum, donatio, etc.

(2) Si in hoc casu iste restituit, et adest damnum tertii, peccat et tenetur ad restitutionem. Si tamen ex justa causa, puta, quia coactus a judice restituit, non peccat et non tenetur ad restitutionem.

(3) Bona alia sunt supernaturalia, puta *gratia*, *virtutes*; alia naturalia, quae sunt triplicis generis: primi ordinis, et sunt *vita*, *libertas*, *virginitas*, *sanitas*; secundi ordinis, et sunt *honor*, *fama*; tertii ordinis, et sunt *opes*, *divitiae*.

ditoris. Vel cadit a statu injuste acquisito, ut puta usuris, rapinis, etc. et non est causa differendi restitutionem, quia redit ad pristinum.

Q. *In aequali necessitate constituti creditor et debitor, potest iste differre restitutionem?*

R. Potest differre, si loquimur de necessitate extrema, quia in hoc casu omnia sunt communia; secus si loquimur de necessitate gravi, quia in hoc casu melior est conditio creditoris.

Q. *Qui habet justam causam suspendendi restitutionem, tenetur postea ad damna causata creditori ex dilatione restitutionis?*

R. Vel loquimur de debitis contractis ex delicto, et tenetur; vel loquimur de debitis contractis justo titulo, et subdistinguo: si fuit in mora culpabili, tenetur; secus non tenetur, quia sine culpa non oritur obligatio restitutionis.

Q. *Alienum consumptum tempore necessitatis extremae estne restituendum?*

R. Si acceptum est ante tempus necessitatis extremae, est restituendum; si acceptum est in tempore necessitatis extremae, subdistinguo: si acceptum est per contractum transferentem dominium, puta per mutuum, per emptionem, est restituendum, quia consumpsit suum; si per contractum non transferentem dominium, puta per commodatum, per depositum, non est restituendum, quia in hoc casu omnia bona sunt communia.

Q. *Obstrictus debitis potest ingredi in religionem?*

R. Si debita sunt incerta, potest; si sunt certa, subdistinguo: vel modico tempore, puta biennio, potest debita solvere, et debet differre (1) ingressum in religionem; secus potest ingredi, quidquid dicant alii (2).

---

(1) Si iste ingreditur religionem, et profitetur, valida est professio ex decreto Clementis VIII. sed illicita.

(2) Qui professionem emittit obstrictus debitis certis, non liberatur ab obligatione restitutionis, sed modo quo potest, debet semper satisfacere creditoribus, quia est obligatio naturalis.

Q. *Quid est cessio bonorum?*

R. Est derelictio omnium bonorum, quam debitor impos ad solvendum facit suis creditoribus. Per hanc suspenditur, non cessat obligatio restitutionis.

Q. *Privatio magni lucri estne causa differendi restitutionem?*

R. Minime: si tamen hoc lucrum esset necessarium ad satisfaciendum aliis creditoribus, aequum esset, ut creditor permitteret talem dilationem.

De causis, quibus tollitur obligatio restitutionis.

Q. *Quaenam sunt causae, quae tollunt obligationem restitutionis?*

R. Istae: nempe *condonatio*, *compositio*, *compensatio*, et *praescriptio*.

Q. *Quid est condonatio?*

R. Est relaxatio debiti facta debitori a creditore.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut condonatio sit valida?*

R. Istae: ut sit omnino libera, et a jure non impedita.

Q. *Estne valida condonatio facta per metum, vel per errorem, vel per dolum?*

R. Minime: quia non libera.

Q. *Condonatio facta partis debiti ob timorem, ne amittatur totum, estne valida?*

R. Si timor procedit a persona creditoris, est valida; si incutitur a parte debitoris, est nulla.

Q. *Condonatio facta uni ex concausis exoneratne alias concausas?*

R. Si condonatio facta sit causae principali, puta mandanti, aliae concausae exonerantur a restitutione; quia istae veniunt in defectu principalis. Si vero facta sit concausae minus principali, vel concausae aeque principali, puta participanti in actione, tunc aliae aequales liberan-

tur a parte donata; causa principalis tenetur ad totum (1).

Q. *Quaenam sunt condonationes impeditae a jure?*

R. Sunt condonatio facta inquisitoribus, visitatoribus, et judici, qui ex causa accessus aliquod accipiunt praeter illud, quod istis a lege taxatum est, et condonatio facta canonico, qui non interfuit choro.

Q. *Quid est compositio?*

R. Est facultas obtenta a Summo Pontifice applicandi sibi bona incerta (2).

Q. *Quid est compensatio?*

R. Est debiti et crediti inter se contributio.

Q. *Quaenam sunt conditiones, quae requiruntur ad compensationem?*

R. Ut sit valida, requiritur: 1. ut debitum sit certum, et liquidum; 2. ut sit ex justitia commutativa; 3. ut fiat ad aequalitatem; 4. ut fiat de bonis debitoris (3). Ut autem sit etiam licita, requiritur: 1. ut creditor non possit alia via recuperare suum; 2. ut non adsit damnum tertii; 3. ut moneatur (ex charitate) prudenter debitor de extinctione sui debiti, ne perseveret in peccato.

Q. *Qui promisit solvere debitum et juravit, potest uti compensatione, quando debet aliquid accipere a suo creditore?*

R. Maxime: nam compensatio aequivalet solutioni. Si

---

(1) Si tres intulerunt alteri ex conspiratione damnum in tercentum, et uni remissa fuit sua obligatio, secundus est impotens, tertius debet restituere tantum centum quinquaginta, quia pars impotentis dividenda est: si autem ex mandato, mandans ad tercentum tenetur.

(2) Si quis obtinuit hanc facultatem, et bona adhuc existunt, et compareat dominus, domino sunt restituenda de jure naturae, et Pontifex non dispensat in hoc casu. Adverte, quod adest etiam compositio privata auctoritate facta, cum nempe quis sibi tamquam pauperi consilio confessarii aliusve viri prudentis bona applicat incerta.

(3) Hic adverte, quod valida est compensatio, etiamsi fiat inter debita diversae speciei, seu diversae materiae; quia in debitis non attenditur rei species, sed valor.

tamen juravit se non usurum compensatione, tunc non potest ea uti, quia cessit juri suo.

Q. *Famuli possunt aliquid subripere dominis pro compensatione laboris*, QUEM JUDICANT *majorem salario?*

R. Minime: et oppositum est damnatum ab Innoc. XI (1).

Q. *Si quis restituit creditori sui creditoris, liberaturne in foro conscientiae ab onere restitutionis?*

R. Maxime: etiam ex lege civili, si debitoris interest, ut id fiat.

Q. *Quid est praescriptio?*

R. Est acquisitio dominii (2) rei alienae per continuatam possessionem (3), bona fide, et tempore a jure statuto.

---

(1) Hic adverte, quod propositio damnata afficit praecipue illa verba—*quem judicant*—Hinc si desit periculum allucinationis, uti si esset evidens, vel si hoc facerent consilio viri probi, vel si dominus non solveret pretium, vel daret merces pro pecunia cum damno famulorum, possunt uti compensatione usque ad pretium infimum. Hinc si servus necessitate compulsus servit parvo pretio, potest uti etiam compensatione usque ad pretium infimum: excipe si necessitas est communis ob multitudinem servorum dominos non invenientium, quia tunc famulatus decrescit pretio. Si tamen servus per vim vel per metum fuit compulsus servire parvo pretio, potest uti compensatione usque ad pretium medium. Idem dic de operariis, agricolis, etc.

(2) Dominium concedit facultatem utendi re per omnes usus a jure permissos. Potest esse directum, et indirectum. Primum habetur in ipsa re; secundum habetur in ordine ad fructus tantum. Dominium rei alienae acquiritur contractu, praescriptione et jure gentium. Jure gentium variis modis acquiri potest, nempe alluvione, implantatione, commixtione. confusione, occupatione, etc.

Patet quod objectum dominii sunt omnes res, quae usibus humanis subjiciuntur: subjectum dominii sunt homines, licet possint carere aliquando libero usu ipsius dominii, uti ex. gr. pueri, etc. Si vero aliquis habeat jus in re aliena constitutum, quo dominus in re sua aliquid pati vel non facere tenetur in alterius utilitatem, haec vocatur *servitus*.

(3) Possessio est triplex: alia naturalis, alia civilis, alia mixta. Prima est detentio rei nomine proprio adminiculo corporis; secunda est detentio rei adminiculo juris; tertia est detentio rei adminiculo juris et corporis. At in praescriptione sufficit civilis, minime vero naturalis.

Q. *Valetne praescriptio in foro conscientiae?*

R. Maxime (1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad praescribendum?*

R. Istae, scilicet: animus possidendi, bona fides (2), titulus, capacitas rei, et tempus a jure praescriptum.

Q. *Quid est titulus?*

R. Est causa habilis ad transferendum dominium, puta emptio, donatio, etc.

Q. *Quotuplex est titulus?*

R. Duplex: verus, et coloratus. Verus est ille, qui revera statim transfert dominium: coloratus est ille, qui esset sufficiens ad transferendum dominium, sed ex aliqua circumstantia revera non transfert dominium, saltem statim (3). Secundus sufficit ad praescribendum.

Q. *Error communis vel titulus coloratus in jurisdictione valetne ad praescribendum?*

---

(1) Princeps enim vi alti dominii potest in alios transferre dominium rei etiam sine consensu et culpa prioris domini, quando hoc postulat bonum commune, nempe, ne dominia rerum essent incerta vel confusa, ne dominus esset negligens in custodiendis rebus suis, ad vitandas lites, etc. quae sunt causae, ob quas inducta fuit praescriptio.

Quia praescriptio suam vim habet ex jure civili, ideo in casibus occurrentibus consulendae sunt dispositiones vigentes ejusdem juris civilis.

(2) Idest persuasio, qua prudenter creditur rem possessam esse suam. Haec tamen continua sit oportet toto tempore praescriptionis; nam ex reg. jur. *possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Imo praescriptio bona fide distituta, etsi in foro externo admissa, in foro conscientiae nunquam obligat, uti ex dec. Innoc. III. in Concil. Later. IV.

(3) Hinc si quis donet Sempronio equum furtivum, et Sempronius bona fide accipit, dominium statim tamen non acquirit, sed post annos praescriptionis. Adverte, quod res mala fide a testatore possessa, quando bona fides exigitur, ab haeredibus necessariis vel universalibus non potest praescribi; haeres enim necessarius vel universalis censetur una persona cum defuncto. Haeres vero particularis, et voluntarius potest praescribere, quia mala fides non transit a possessore in possessorem.

R. Solus titulus coloratus, minime: solus error communis probabilius sufficit: ambo autem certo valent ad praescribendum.

Q. *Datur praescriptio sine titulo?*

R. Maxime: sed post triginta annos, quia tunc titulum praecessisse praesumitur (1).

Q. *Possuntne omnia praescribi?*

R. Maxime: excepto homine libero, re publica, rebus furtivis in manu furis, ecclesiae juribus, et aliis a jure prohibitis (2).

Q. *Quodnam est tempus, quod requiritur ad praescribendum?*

R. Pro rebus mobilibus requiritur spatium trium (C. It. duorum) annorum; pro immobilibus decem annorum inter praesentes (3), viginti inter absentes etc. ut in Cod. civ. Pro rebus immobilibus ecclesiae requiritur spatium quadraginta annorum: pro rebus Ecclesiae Romanae centum annorum: pro bonis Benedictinorum sexaginta annorum: etc. prout in jure canonico.

Q. *Quando dormit praescriptio?*

R. De jure comm. tempore pestis et belli; de jur. ca-

---

(1) Nota quod ex lege civ. in mobilibus possessio valet pro titulo. Attamen qui rem aliquam mobilem amisit, vel cui res fuit furto ablata, potest eam intra annos praescriptionis repetere a quovis possessore. Excipe si possessor eam emerit occasione nundinarum aut publicae venditionis, vel a mercatore qui hujusmodi res vendere solet; quia tunc dominus, ut illam recuperet, debet solvere quanti empta fuit.

(2) Sic non praescribuntur Missarum onera et numerus, legata pia, etc. ex decl. C. C. 18. aug. 1845: fundos dotales durante matrimonio, etc. ex cod. civ.

(3) Si partim sunt praesentes, et partim absentes, anni absentiae sunt duplicandi. Praesens vero dicitur, quando dominus verus moratur in eodem territorio subjecto jurisdictioni magnae Curiae civilis (gran Corte civ.) in quo extat immobile: secus, absens. At ex C. It. inter praesentes et absentes nulla distinctio: hinc qui bona fide per titulum in sua forma validum et transcriptum acquirit immobile, vel jus super immobile, post decem annos praescribit.

non. tempore defectus pastoris, rectoris, etc; et de jur. civ. nostro inter coniuges, contra minores, interdictos, etc.

Q. *Quomodo interrumpitur?*

R. Naturaliter, nempe deveniendo in malam fidem; vel civiliter, nempe per litem motam.

Q. *Quaenam differentia inter dormitionem et interruptionem?*

R. Haec: per dormitionem tempus praeteritum computatur, secus per interruptionem.

DE SPONSALIBUS

Q. *Quid sunt sponsalia?*

R. Mutua promissio futurarum nuptiarum inter personas jure habiles.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad sponsalia?*

R. 1. Ut sint vera; 2. libera; 3. externe expressa; 4. mutua; 5. acceptata; 6. repromissa; 7. et inter personas jure habiles (1).

---

(1) Adverte, quod in D. N. sponsi et sponsae post contracta sponsalia, etiam privata, carnalem inter se copulam habentes; nec non parentes, consanguinei, et affines, aut quicunque domus curam habentes, eandem copulam, vel sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes incidunt in excom. Ord. reser. C. XVI. Ad quam censuram incurrendam requiritur, ut sint veri sponsi; et ut copula sit naturalis, perfecta, et consummata, ita ut habeatur seminum commixtio. Hinc si sponsalia fuerint nulla, vel conditionata, vel soluta; aut si copula fuerit imperfecta, vel sodomitica, non incurritur. Item si sponsi sint impuberes, quia ad incurrendos casus nostrae dioecesis habenda est aetas 14 annorum completorum.

Super haec adde, quod sponsi incurrunt per solam copulam; et parentes, consanguinei, etc. incurrunt permittentes (h. e. non prohibentes quando possunt, et tenentur) sive copulam, sive cohabitationem, sive pernoctationem. Cohabitatio vero habetur, quando sponsi simul habitant in eadem domo, et tanto tempore, quantum sufficit ad acquirendum saltem quasi-domicilium. Pernoctatio, quando per totam fere noctem sponsi morantur in eodem loco sive colloquendo, sive edendo, sive decumbendo, etc.

Q. *Sponsalia ficte celebrata, suntne valida?*

R. Si fuerunt ficte celebrata, quia sine animo promittendi, sunt nulla: si sine animo se obligandi, etiamsi jurata, quaestio: si sine animo exequendi, sunt valida, quia animus exequendi est accessorius.

Q. *Qui ficte promittit sponsalia, peccatne?*

R. Maxime, quia decipit proximum in re gravi.

Q. *Qui ficte celebrat sponsalia, nempe animo tantum extorquendi copulam, tenetur postea ducere defloratam?*

R. Vi sponsalium non tenetur, quia non existunt; tenetur tamen vi damni illati, et vi contractus innominati *facio ut facias*, dummodo deflorata sit honestae vitae, et aequalis conditionis (1).

Q. *Adsunt casus, in quibus fictus promissor non tenetur ducere puellam, quamvis sit honestae vitae, et aequalis conditionis?*

R. Maxime, et sunt: 1. quando puella se virginem simulabat, et talis non erat, quia tunc deceptio unius compensatur cum deceptione alterius; 2. quando fictus promissor vult puellam ducere, et illa, vel ejus parentes nolunt; 3. quando ex tali matrimonio sequerentur scandala, rixae, discordiae, quia virtute justitiae nemo obligari potest ad id, quod exequi non potest sine peccato; 4. quando ipse dedit sufficiens signum suae deceptionis, quia tunc deflorata non fuit decepta, sed se decipi finxit.

Q. *Sponsalia facta per metum suntne valida?*

R. Si per metum gravem, injuste incussum, a causa libera, ad extorquendum consensum, sunt nulla; secus valida (2).

Q. *An ad sponsalia inita teneatur, qui eorum obligationem ignorabat?*

R. Quaestio. Sed verius negatur eo quod *nil est volitum, nisi praecognitum*. Excipe, si promittens intendat se

(1) Hinc si deflorata non est aequalis conditionis, sed honestae vitae, tenetur eam dotare vel de nuptiis providere, ad damnum reparandum. Si vero non est honestae vitae, tenetur tantum ad mulctam.

(2) Sponsalia facta per vim sunt semper nulla, quia non libera.

obligare, sicut omnes alii se obligant sponsalia contrahentes; quia tunc in sponsalibus adesse quandam obligationem agnoscit, ac proinde tenetur.

Q. *Qui dubitat de sponsalibus teneturne ad illa?*

R. Si dubitet de sponsalium contractione, juxta probabilistas non tenetur; quia possessio stat pro libertate: secus, si dubitet de intentione se obligandi; quia *actus praesumitur factus, ut fieri solet.*

Q. *Quotuplici modo possunt celebrari sponsalia?*

R. Multis modis: absolute, et conditionate, verbis, signis, et muneribus (1).

Q. *Sponsalia conditionata suntne valida?*

R. Vel sunt celebrata sub conditione impropria, et sunt valida, modo conditio sit vera: vel sub conditione propria, honesta, et possibili, et sunt valida, verificata conditione: vel sub conditione propria turpi, et impossibili, et etiam sunt valida, quia haec conditio rejicitur a jure; excipe si haec conditio opponatur uni ex tribus bonis substantialibus matrimonii, quia tunc sponsalia sunt nulla (2).

---

(1) In aliquibus locis usu receptum est, ut per aliqua signa, vel per aliqua munera determinata sponsalia celebrentur. Ista munera, signa, vel verba, ut inducant obligationem sponsalitiam, non requirunt praesentiam parochi, nam ex Concilio Tridentino clandestinitas reddit nullum matrimonium, non sponsalia.

(2) Bona substantialia matrimonii sunt tria: nempe *bonum fidei*, idest fidelitas servanda inter conjuges; *bonum prolis*, idest susceptio et educatio prolis; et *bonum sacramenti*, idest indissolubilitas matrimonii.

Hic adverte, quod conditio turpis tribus hisce matrimonii bonis opposita verificanda est post matrimonium, ut sint sponsalia nulla; vel habere debet effectum post matrimonium, uti est procuratio sterilitatis: hinc si Titius celebrat sponsalia cum vidua praegnante sub conditione, ut eliminet prolem, quam jam utero gerit, sponsalia sunt valida, quia ista conditio, uti turpis, rejicitur a jure; nec respicit bonum prolis suscipiendae in matrimonio celebrando. Idem dic, si celebret sponsalia sub conditione, ut sponsa ante contractionem matrimonii alium cognoscat.

Adverte, quod sponsalia conditionata evadunt absoluta per adim-

Q. *Quaenam verba requiruntur ad sponsalia?*

R. Verba determinata, exprimentia praesentem voluntatem contrahendi in futuro.

Q. *Debentne sponsalia esse etiam acceptata ab altera parte?*

R. Maxime: taciturnitas in onerosis non valet pro consensu.

Q. *Adsunt casus, in quibus valet taciturnitas?*

R. Maxime: quando, nempe parentes (1) promittunt, et acceptant sponsalia pro filiis praesentibus, tacentibus, et interne consentientibus (2).

Q. *Debentne sponsalia esse etiam repromissa?*

R. Maxime: talis est enim eorum natura (3).

---

pletionem conditionis, et per consequens non requiritur novus consensus. Evadunt etiam absoluta per copulam carnalem, quia tunc censetur remissa conditio.

Adverte, quod si Titius contraxit sponsalia conditionata cum una, et postea alia sponsalia absoluta cum tertia persona, secunda sponsalia sunt nulla, quia res uni promissa alteri repromitti non potest: et licet conditio priorum non verificetur, semper sunt nulla; quia quod a principio non subsistit, tractu temporis convalescere non potest. Imo si secunda sponsalia fuerunt jurata, hoc juramentum esset per se stans, quod nec etiam virtute religionis obligaret, quando vergeret in damnum tertii, nempe prioris sponsae.

Adverte etiam, quod si quis contraxit sponsalia cum una, et alia cum altera, cum qua habuit copulam, etiam ista secunda sunt nulla: excipe in illis locis, ubi non est receptum Concilium Tridentinum, quia tunc ista secunda habent rationem matrimonii clandestini.

Tandem sciendum, quod obligatio eorum, qui contrahunt sponsalia conditionata, est expectare eventum conditionis, et interim non reddere se impotentes.

(1) Si spondent, vel acceptant tutores, fratres, etc. sunt nulla; solis enim parentibus hoc privilegium lex concedit.

(2) Si filii tacent, et interne non consentiunt, sponsalia in foro interno sunt nulla;

(3) Hinc si promittens sponsalia intendit se obligare sine onere repromissionis, tenetur ad sponsalia, sed vi simplicis promissionis: verum ista sponsalia non inducunt impedimentum publicae honestatis, quia non sunt vera sponsalia.

Q. *Quid intelligitur, quod sponsalia debent esse inter personas jure habiles?*

R. Intelligitur, quod sponsi non debent esse irretiti aliquo impedimento, quod dirimat sponsalia. Impedimenta, quae dirimunt sponsalia, sunt votum castitatis, votum non nubendi, votum suscipiendi sacros ordines, et votum ingrediendi in religionem: insuper omnia impedimenta, quae dirimunt matrimonium, dirimunt etiam sponsalia. Tandem sponsalia facta cum una dirimunt sponsalia cum alia (1):

Q. *Quaenam aetas requiritur ad celebranda sponsalia?*

R. Aetas usus rationis.

Q. *Si impubes celebrat sponsalia, suntne omnino valida?*

R. Partim sunt rata, quia inducunt impedimentum publicae honestatis; partim sunt suspensa, quia, adepta pubertate, potest resilire (2).

Q. *Adsunt casus, in quibus impuberes, adepta pubertate, non possunt resilire?* (3)

R. Maxime: 1. quando in impubertate copulam habuerunt; 2. quando proximi pubertati (4) sponsalia juramento firmaverunt; 3. quando, adepta pubertate, sponsalia ratificaverunt.

---

(1) Si quis celebrat sponsalia irretitus aliquo impedimento dirimente, sub conditione: *si Popa dispensaverit*, et Pontifex in eo non solet dispensare, sponsalia sunt nulla; secus sunt conditionata.

(2) Puberes sunt mas, qui complevit annum XIV, et foemina, quae XII: ante hoc tempus dicuntur impuberes.

impuberibus a jure conceditur triduum a die cognitionis adeptae pubertatis, ut possint resilire, si jam scitur hujusmodi privilegium: aliter triduum computandum est a die adeptae cognitionis talis privilegii.

(3) Si impuberes sponsalia contraxerunt, vel pubes cum impubere, durante impubertate, sponsalia non possunt dissolvere, ne daretur locus infinitis sponsalibus. Si duo impuberes sponsalia contraxerunt, et unus perveniat ad pubertatem citius altero, statim potest, si vult, dissolvere sponsalia, etiam altero contradicente.

(4) Proximi pubertati dicuntur mas a X anno cum dimidio usque ad XIV, foemina a IX cum dimidio usque ad XII.

Q. *Estne licitum pactum lucrativum in sponsalibus?* (1)

R. Minime: quia matrimonium non est mercimonium. Esset tantum licitum, si apponeretur ratione dotis, vel donationis ob inaequalitatem aetatis vel natalium, vel quando apponeretur a tertia persona.

Q. *Estne licita poena conventionalis?*

R. Minime: quia esset contra libertatem matrimonii. Esset tantum licita contra injuste resilientes.

Q. *Suntne licitae arrhae?* (2)

R. Maxime: et celebrato matrimonio, restituendae sunt tradenti; si non celebratur ex culpa tradentis, sunt recipientis; si non celebratur ex culpa recipientis, iste debet restituere duplum post sententiam judicis. Si non celebratur, sed nullius culpa, restituendae sunt tradenti.

Q. *Suntne licitae donationes?*

R. Maxime: et celebrato matrimonio, sunt donatarii. Si non celebratur, restituendae sunt donanti. Si vero interfuerint tactus, oscula, etc. sponsa donataria potest retinere aliquid in compensationem.

Q. *Sponsalia celebrata insciis parentibus suntne licita?*

R. Minime: excipe, si parentes sint irrationabiliter inviti (3).

Q. *Sponsi committentes fornicationem cum persona extranea, debentne in confessione dicere se esse sponsos?*

R. Quaestio; nam sponsalium effectus sunt: 1. gravis obligatio justitiae contrahendi matrimonium: 2. impedimentum publicae honestatis: 3. jus inchoatum ad corpus alterius, de quo litigant DD.

Q. *Quibus ex causis dissolvuntur sponsalia?*

R. Pluribus: 1. per mutuum dissensum; res enim per

---

(1) Pactum lucrativum est, quando paciscitur aliquid dari causa contrahendi matrimonium.

(2) Arrhae sunt pignus futuri matrimonii.

(3) Nam ex Tridentino in matrimonio, et per consequens in sponsalibus parentum consensus non requiritur ad valorem, sed ad liceitatem: unde peccant filii contrarium sine justa causa agentes; sicut etiam peccant parentes filios irrationabiliter impedientes.

quas causas nascitur, per easdem dissolvitur: 2. per impedimentum dirimens superveniens, quia evadunt de re moraliter impossibili: 3. per lapsum temporis appositi non ad sollicitandam, sed ad finiendam obligationem: 4. per discessum in longinquum sine justa causa, et sine venia alterius partis (1): 5. per matrimonium subsequens (2): 6. per professionem religiosam, vel susceptionem sacri ordinis (3): 7. per notabilem mutationem in pejus (4).

DE MATRIMONIO

Q. *Quid est matrimonium?*

R. Matrimonium duplici pacto considerari potest, uti contractus, et uti sacramentum. Uti contractus est conjunctio maris et foeminae legitimo consensu ad individuam vitae rationem: uti sacramentum est signum sensibile a Christo Domino institutum gratiae collatae viro ac mulieri, legitimo consensu copulatis, ad perpetuae vitae consuetudinem.

---

(1) Si vero adest justa causa, sed non adest venia alterius partis, ista debet expectare tempus a judice ecclesiastico taxandum.

(2) In hoc casu statim solvuntur sponsalia ex parte innocentis. Delinquens vero, si, mortua conjuge, pars innocens instat pro adimpletione sponsalium, debet stare sponsalibus; quia nemo reportare debet commodum ex proprio delicto.

(3) Imo qui post sponsalia inita emittit votum etiam simplex castitatis, licite dirimit sponsalia; istis enim imbibita est conditio *nisi meliorem statum elegero*, quidquid dicant alii. Excipe, si filii sint legitimandi, vel honori sponsae providendum; quia tunc ex justitia tenetur contrahere matrimonium.

(4) Intelligitur haec mutatio sive in corpore, sive in animo, sive in fama, sive in bonis fortunae, quando si nota fuisset, sponsalia non fuissent contracta. Hinc si sponsa fuerit ab alio etiam per vim deflorata, potest sponsus sponsalia dissolvere.

Si sponsa habeat cum alio tactus vel oscula, potest etiam sponsus sponsalia dissolvere. Idem dic de sponsa, si sponsus habeat cum alia oscula vel tactus frequentes et turpes.

Si vero ambo fornicati sunt cum alienis personis, nemo potest sponsalia dissolvere.

Q. *Quotuplex esse potest matrimonium?*

R. Triplex: legitimum, ratum, et consummatum: primum est, quod habetur apud infideles, et habet tantum rationem contractus: secundum est, quod habetur apud fideles, et habet rationem sacramenti (1): tertium est, quod etiam per copulam carnalem completum est.

Q. *Quinam sunt ministri hujus sacramenti?*

R. Aliqui dicunt esse sacerdotem: alii dicunt esse ipsos contrahentes, et secundum hanc sententiam parochus venit uti testis auctorizabilis; quae sententia communis est, et moraliter certa. Lig. VI. 897 (2).

Q. *Quaenam est materia et forma?*

R. Juxta primam sententiam consensus est materia, forma sunt verba Sacerdotis: *Conjungo vos in matrimonium.* Juxta secundam sententiam materia sunt corpora contrahentium, forma consensus expressus per verba vel per signa (3).

Q. *Quinam debet esse consensus in matrimonio?*

R. Debet esse verus, plene deliberatus, liber, externus, mutuus, et de praesenti, idest sive actu, sive virtute extans tempore contractionis.

Q. *Estne validum matrimonium celebratum per procuratorem?*

R. Maxime, his habitis conditionibus: 1. ut procurator

---

(1) Oppositum fuit damnatum a Pio IX in Syllabo prop. 73. sic: *Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur.*

(2) Adde. Si enim nunc ex Syllabo Pii IX. non datur inter christianos matrimonium validum sine Sacramento; et si saepe validum contrahitur matrimonium absque Parochi benedictione, puta, ubi non viget Trid. lex de clandestinitate, vel coram Parocho reluctante, etc. Ergo non Parochus, sed ipsi contrahentes sunt ministri hujus Sacramenti.

(3) Valentes loqui, si contrahunt per signa, valide contrahunt, quia Christus non destruxit naturam contractus; sed probabilius leviter peccant contra consuetudinem Ecclesiae.

habeat speciale mandatum; 2. ut sit de determinata persona; 3. ut non substituat alium, nisi de expressa licentia mandantis; 4. ut mandatarius non excedat fines substantiales mandati; 5. ut non sit revocatum mandatum, licet revocatio non innotuerit mandatario (1); 6. ut mandatum innotescat Parocho et testibus.

Q. *Matrimonium celebratum sub conditione estne validum?*

R. Idem dicendum, quod dictum est de sponsalibus celebratis sub conditione (2).

Q. *Matrimonium celebratum sub modo estne validum?*

---

(1) In aliis contractibus si revocatio non innotuerit mandatario, lex supplet consensum. secus in matrimonio, in quo requiritur consensus de praesenti.

Adverte, quod ut valide contrahatur per procuratorem, non requiritur diversitas sexus. Adverte etiam, quod si procurator assistit matrimonio in peccato mortali, peccat venialiter: mandans vero, si est in peccato mortali, peccat graviter. Adverte tandem, quod si mandans ante contractionem matrimonii fiat amens, matrimonium est validum, quia virtualiter perseverat consensus: quicquid dicant alii.

In D. N. vero ad licite celebrandum matrimonium per procuratorem requiritur, ut causa sit cognita et approbata ab Ordinario vel ejus Vicario; alias Parochus incidit in suspensionem a sacramentis ministrandis feren. sent. et in alias poenas arbitrio Ordinarii.

(2) Adverte, quod si conditio opponatur bono fidei vel prolis, ut reddat matrimonium nullum, requiritur, ut sit deducta in pactum: si vero opponatur bono sacramenti, sufficit, ut sit mente retenta. Cum enim sine fidelitate ac prole haberi possit verum matrimonium, sequitur ut illae conditiones, nisi deducantur in pactum, non inficiant substantiam ejus. E contra si absque perpetuitate concipi nequeat verum matrimonium, qui vult illud ad tempus sola intentione duraturum, nulliter agit, quia consensum non praestat ad matrimonium verum.

Adverte, quod si matrimonium celebratur sub conditione cum duabus, illud est validum, cujus conditio prius verificatur. Si simul et semel verificatur conditio utriusque, neutri standum; quia incertitudo vitiat actum.

Adverte etiam, quod si dubitatur, utrum conditio sit apposita uti conditio vel uti modus, existimari debet uti modus in favorem matrimonii.

R. Maxime, licet sit turpis vel impossibilis; dummodo non opponatur bonis substantialibus matrimonii.

Q. *Matrimonium celebratum sub causa motiva non existente estne validum?*

R. Maxime: causa enim motiva in matrimonio esse debet semper consecutio bonorum substantialium matrimonii; aliae vero causae censentur semper impulsivae.

Q. *Matrimonium celebratum sub demonstratione falsa estne validum?*

R. Si demonstratio falsa est circa personam, matrimonium est nullum, quia deficit consensus: si demonstratio falsa est circa qualitatem, quae non est deducta in pactum, matrimonium est validum.

Q. *Matrimonium celebratum adjectione temporis est validum?*

R. Si tempus apponitur pro duratione matrimonii, est nullum; cum hoc sit contra matrimonii substantiam: si apponitur pro inceptione obligationis, est validum.

De Matrimonio civili.

Q. *Quid est matrimonium civile?*

R. Est actus mere civilis, ex quo vir et mulier fideles contra Ecclesiae praescriptum veros conjuges se habent (1).

Q. *Estne contractus coram Deo et Ecclesia?*

R. Minime; nam in matrimonio Christianorum non potest separari contractus a ratione Sacramenti, et oppositum fuit damnatum in Syllabo a Pio IX: unde patet contra-

(1) Dicitur *actus mere civilis*, h. e. juxta formam civili lege decretam, qui ex Syllabo Pii IX prop. 73 non est veri nominis matrimonium: *ex quo vir et mulier fideles*; quia inter infideles haec unio est matrimonium legitimum, quod habet rationem contractus: *contra Ecclesiae praescriptum*; nam, ubi non viget Trid. lex de clandestinitate, est verum matrimonium, et habet etiam rationem Sacramenti: *veros conjuges se habent*; si enim solam intentionem haberent exequendi civilem caeremoniam, hoc illicitum non est, nec proinde ab Ecclesia damnatum. V. instruct. S. Poenit. 15. jan. 1866.

ctum matrimonii inter christianos semper esse Sacramentum; et nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur. Vid. prop. 66. 73.

Q. *Quid dicendum de matrimonio coram officiali civili?*

R. In locis, ubi receptum est Tridentinum, si fit animo contrahendi coram Ecclesia, haberi uti actum civilem ad obtinendos civiles effectus (1): secus, matrimonium civile; eamque conjunctionem, seu cohabitationem, ex Pio IX. (alloc. 27. sept. 1852.) *nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum.* Ac proinde filii ex hoc illicito concubitu nati illegitimi censentur: ipsi vero contrahentes non modo, uti publici peccatores, privantur participatione Sacramentorum et ecclesiastica sepultura, sed reservata quoque excomm. plectuntur in nostra Dioecesi (2).

Q. *Affertne canonicum impedimentum justitiae publicae honestatis?*

R. Negative in locis ubi promulgatum est decretum Trid. de clandestinitate, sive fideles actum ipsum explentes intendant meram caeremoniam civilem peragere, sive sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum matrimonium de praesenti contrahere. Ita ex decis. S. C. C. 13 Mar. 1879, et ex decr. Leonis XIII diei 17 eiusdem mensis.

Q. *Quomodo agendum, si ex civiliter nuptis pars una coram Ecclesia contrahere recuset?*

---

(1) Idem dic, si fit post matrimonium ecclesiasticum; tunc enim praesumitur, quod partes vi actus civilis non se putant veros conjuges.

(2) Nota quod in D. N. contrahentes matrimonium alia forma, quam Ecclesia catholica praescribit, incidunt in supradictam excom. Ordinario *specialiter* reserv: quae reservatio cessat tantum quando ii, qui hujusmodi irrito conjugio sunt copulati, deinceps verum matrimonium coram Ecclesia reipsa contraxerint; non quando illud proxime sint contracturi; nec quando verum legitimumque matrimonium inter eosdem non subsequitur vel quia ab invicem sint prorsus separati, vel quia alter ex illis jam mortem obierit. Ita ex declar. Emi Archiep. 15. Feb. 1867.

R. Servatis de jure servandis (1), si recuset, quia non vult ad Sacramentalem confessionem accedere, potest admitti ad matrimonii celebrationem, cum non sit omnino necessaria confessio in hoc Sacramento: in aliis casibus parochus consulat Ordinarium, vel S. Sedem.

De indissolubilitate matrimonii.

Q. *Matrimonium estne indissolubile quod ad vinculum?*

R. Vel loquimur de matrimonio consummato, et nunquam potest dissolvi: vel de matrimonio rato, et potest dissolvi per dispensationem Papae, aut per professionem religiosam (2): vel de matrimonio legitimo, et potest dissolvi per dispensationem Papae, aut per conversionem unius ad fidem (3): uti patet ex Traditione, ex Trid. et Ecclesiae usu.

---

(1) h. e. Injuncta separatione, ablato per dispensationem (si adsit) aliquo canonico impedimento, et obtenta in nostra dioecesi opportuna facultate.

(2) Ideo ab Ecclesia novis conjugibus assignatur bimestre, intra quod tempus nemo habet jus consummandi matrimonium, et nemo habet obligationem reddendi. Si vero uxor infra bimestre per vim fuit cognita a viro, potest in religionem ingredi et profiteri, etiam invito viro; sed vinculum matrimonii tunc non dissolvitur, quia jam facti sunt una caro.

(3) Si infidelis convertitur ad fidem, altero conjuge remanente in infidelitate, potest statim solvere matrimonium quod ad vinculum, quicquid dicant alii, ex recepta consuetudine Ecclesiae, et alias contrahere nuptias, monita prius parte infideli, si velit ad fidem converti, ex praecepto Gregorii XIII. et S.Pii V. Vide Ligor.VI. 957.

Filii in infidelitate nati parti conversae sunt tradendi; et si sint doli capaces, proprio arbitrio sunt relinquendi. Quod si ambo convertantur ad fidem, matrimonium non solvitur, sed perficitur, et juxta aliquos rationem induit Sacramenti. Si demum pars conversa plures uxores habeat, et omnes quoque convertantur, prima tantum est retinenda, relictis aliis.

De Divortio.

Q. *Quid est divortium ?*

R. Est legitima separatio conjugum , manente vinculo conjugali.

Q. *Quotuplex est ?*

R. Perpetuum (1), et temporale; quod ad torum tantum, vel quod ad habitationem tantum; vel quod ad torum et habitationem simul.

Q. *Est licitum ?*

R. Maxime, uti ex Tridentino; et ratio instituendi divortium competit tam viro, quam uxori.

Q. *Quotuplici ex capite potest institui ?*

R. Vel amore virtutis , vel causa delicti.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur , ut instituatur divortium amore virtutis?*

R. Mutuus consensus, et ut non adsit periculum inconnentiae (2).

Q. *Quibus ex delictis potest fieri divortium ?*

R. 1. Ob fornicationem (3); 2. ob lapsum in haeresim;

---

(1) Effectus divortii perpetui est, posse sumere statum perpetuum. Status perpetuus est professio religiosa, vel susceptio sacri ordinis.

(2) Divortium amore virtutis regulariter loquendo fit semper temporale. Posset tamen fieri perpetuum, quando nempe uxor daret licentiam viro suscipiendi statum perpetuum. In hoc casu uxor deberet emittere votum simplex castitatis, et si esset juvenis, deberet ingredi in aliquod monasterium ob decentiam. Hinc si vir sine libera et expressa conjugis licentia, aut sine divortio perpetuo sacros ordines susciperet, Ordinatio esset valida, sed illicita, et ipse in perpetuam irregularitatem incideret. Si vero religionem profiteretur, dist: post matrimonii consummationem professio esset nulla ; ante esset valida, sed post bimestre juxta aliquos illicita.

(3) Per fornicationem hic intelligitur concubitus consummatus cum alieno supposito sive homine, sive bestia, ut incestus, sodomia , bestialitas, etc. Adverte , quod divortium ex delicto potest fieri perpetuum tantum ob fornicationem. Ob haeresim vero potest fieri perpetuum, tantum si fiat auctoritate Episcopi.

3. ob conjugis saevitiam ; 4. ob periculum animae , vel corporis.

Q. *Innocens tenetur facere divortium ?*

R. Minime, quia potest cedere juri suo.

Q. *Adsunt casus, in quibus debet ?*

R. Maxime; 1. quando requiritur ad emendationem delinquentis ; 2. ad tollendum scandalum ; 3. quando innocens habet votum castitatis.

Q. *Adsunt casus, in quibus non potest ?*

R. Maxime: 1. quando uterque commisit adulterium ; 2. quando adulterium fuit tantum materiale ex parte delinquentis ; 3. quando adfuit consensus alterius conjugis in adulterio; 4. quando innocens reo remisit injuriam.

Q. *Qua auctoritate potest fieri divortium ?*

R. Si delictum est publicum, potest fieri etiam auctoritate privata; si est occultum, debet fieri auctoritate judicis, ne praebeatur scandalum.

Q. *Facto divortio perpetuo, pars rea potest sumere statum perpetuum ?*

R. Potest 1. vel quando innocens jam sumpsit statum perpetuum; 2. vel quando obtinuit veniam; 3. vel quando pluries petiit veniam ab innocente, et iste recusavit (1).

Q. *Facto divortio, debetne restitui dos?*

R. Si divortium fit amore virtutis, debet: si causa delicti , distinguo: si ob delictum viri , fructus dotis sunt uxoris ; si ob delictum uxoris, debentur ei tantum alimenta.

---

(1) In hoc ultimo casu si uxor ingressa sit in religionem, et professa sit, et vir eam vocat, debet obedire viro, et debet reddere, sed non potest petere. Si tamen emisit professionem , interveniente auctoritate Episcopi, tunc non debet egredi e monasterio.

Qui vero post matrimonium sacros ordines suscipit, aut, eo consummato, religionem profitetur, si postea suam uxorem carnaliter cognoscit , non peccat contra castitatem , quia accedit ad suam ; sed tantum contra religionem ratione voti violati.

De debito conjugali.

Q. *Actus conjugales suntne liciti?*

R. Maxime; imo aliquando obligatorii, quando nempe conjux petit serio, instanter, et rationabiliter sive verbis sive signis (1).

Q. *Ob quem finem possunt haberi?*

R. 1. Ad generandam prolem; 2. ad reddendum debitum; 3. ad tollendam incontinentiam (2).

Q. *Adsunt casus, in quibus conjux non tenetur reddere debitum?*

R. Maxime: quando adest grave periculum salutis corporis vel animae (3), et quando altera pars non habet jus petendi.

Q. *Adsunt casus in quibus non licet petere?*

R. Maxime: et sunt, quando quis habet votum castitatis, vel contraxit affinitatem aut cognationem spiritualem post matrimonium cum altero conjuge, vel quando contraxit cum dubio de valore matrimonii.

---

(1) Quando conjux petit modo, loco, et tempore debito, tunc petit rationabiliter.

(2) Hinc si exercentur ob solam voluptatem, non carent culpa veniali.

(3) Unde non tenetur reddere statim a sectione venae, a balneo, a partu; nec ei qui phthisi, morbo gallico, etc. laborat, nisi continentia periclitetur. Sic etiam non licet, si culpa se tenet ex parte actus, ut puta si fiat in vase praepostero, cum scandalo filiorum, etc. Si vero culpa se tenet ex parte solius petentis, qui e. g. est ligatus voto, affinitate, vel post inceptam copulam vult seminare extra vas, tunc tenetur illum monere ex charitate, quae non obligat cum gravi incommodo ad negandum debitum, uti ex S. P. 1. feb. 1823.

Haec dicta tamen intellige de culpa gravi, nam quaelibet rationabilis causa excusat a culpa levi.

De impedimentis matrimonii.

Q. *Quotuplicis generis sunt impedimenta matrimonii ?*

R. Duplicis generis : alia sunt impedientia, alia sunt dirimentia; prima reddunt matrimonium illicitum, secunda nullum (1).

Q. *Quaenam sunt impedimenta impedientia ?*

R. Sunt ista :

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum (2).

Q. *Quae sunt impedimenta dirimentia ?*

R. Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si forte coire nequibis,
Si parochi aut duplicis desit praesentia testis.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae.
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Q. *De quo jure sunt ista impedimenta ?*

---

(1) In Ecclesia adest potestas instituendi impedimenta dirimentia, et oppositum est damnatum ex Tridentino.

(2) *Tempus sacratum*, idest a prima dominica Adventus usque ad Epiphaniam, et a fertia IV Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive : in hoc tempore prohibetur solemnitas nuptiarum, videlicet 1. solemnis benedictio sponsorum intra Missam: 2. solemnis traductio sponsae in domum sponsi, splendidiora convivia, tripudia, etc : illa tamen sub gravi; haec sub levi, nisi magnus sit excessus; immo omni vacat culpa, si moderate fiat. Verum in D. N. ex consuetudine requiritur Ordinarii licentia ad matrimonium etiam sine solemnitate expresso tempore contrahendum.

Vetitum, idest prohibitio ex justa causa facta ab episcopo, vel parocho de contractione matrimonii.

Sponsalia, idest facta cum una et non dissoluta, impediunt matrimonium cum alia : si quis tamen velit celebrare matrimonium cum consanguinea in primo gradu suae sponsae, tunc sponsalia evadunt impedimentum dirimens ob publicam honestatem.

Votum, idest votum simplex castitatis, votum ingrediendi in religionem, votum suscipiendi sacros ordines, votum non nubendi.

R. De jure positivo, exceptis his comprehensis in hoc versiculo, quae sunt de jure naturae:

Errans (1), invitus (2), conjunctus (3), junctus (4) et impos (5).

Q. *Qui celebrat matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, peccatne, et incidit in aliquam poenam?*

R. Peccat graviter contra praeceptum Ecclesiae, contra religionem, contra justitiam, et si celebrat cum impedimento voti solemnis, incidit in excommunicationem Ordinario reservatam ex Const. Pii IX. cas. I. *Ap. S.*

Q. *Qui matrimonium nulliter celebratum consummat, praeter peccatum contra castitatem committit speciale peccatum, et incidit in aliquam poenam?*

R. Tunc committit speciale peccatum, si impedimentum constitutum est ob indecentiam copulae (6): et si matrimonium est nullum ob impedimentum voti solemnis, illud consummando incidit in irregularitatem ratione bigamiae similitudinariae.

De impedimento erroris, et conditionis.

Q. *Estne validum matrimonium celebratum per errorem?*

R. Si error est circa personam, sive sit antecedens, sive sit concomitans, matrimonium est nullum; quia deest

(1) Idest error circa personam.

(2) Idest vis absoluta.

(3) Idest consanguinitas. Haec in primo gradu lineae rectae dirimit matrimonium de jure naturae penes omnes, in aliis gradibus ejusdem lineae rectae, utrum dirimat de jure naturae vel de jure positivo, quaestio: in primo gradu lineae transversalis etiam quaestio, utrum dirimat de jure naturae vel de jure positivo.

(4) Idest matrimonium cum una dirimit matrimonium cum alia.

(5) Idest impotentia antecedens et perpetua.

(6) Impedimenta inducta ob indecentiam copulae sunt impedimentum cognationis, affinitatis, disparitatis cultus, ligaminis, et voti solemnis; in quibus praeter peccatum contra castitatem habetur aliud peccatum ex. gr. in cognatione, et affinitate contra pietatem; in voto contra religionem; etc. juxta specialem virtutem, quae laeditur.

consensus (1). Si error est circa qualitatem, matrimonium est validum; dummodo qualitas non sit apposita uti conditio *sine qua non* (2), vel non redundet in personam (3).

Q. *Quid est impedimentum conditionis?*

R. Est servitus ignorata (4).

De impedimento voti, et ordinis.

Q. *Ex quonam voto oritur impedimentum dirimens?*

R. Ex voto solemni emisso in professione religiosa, vel in susceptione sacri ordinis (5).

---

(1) Error antecedens dicitur ille, qui si non adesset, matrimonium non fuisset celebratum. Error concomitans dicitur ille, qui si non adesset, matrimonium etiam fuisset celebratum, sed non tam de facili. Hinc si quis ducit in uxorem Bertam putans esse Liam, quam non duxisset, si prius scivisset esse Liam, matrimonium est nullum ob errorem antecedentem. Et si etiam contraxisset, si prius scivisset esse Liam et non Bertam, matrimonium esset nullum ob errorem concomitantem.

(2) Hinc si quis ducit Bertam putans esse divitem, et dives non est, matrimonium est validum, quia error est circa qualitatem. Si tamen contraxit hoc modo: *contraho tecum, dummodo sis dives*, tunc si dives non est, matrimonium est nullum; quia qualitas apposita fuit uti conditio. Et licet contraxisset hoc modo: *contraho tecum, dummodo sis dives, et si dives non esses, adhuc contraherem tecum*: si dives non est, matrimonium est nullum, quia deest consensus de praesenti.

(3) Illa qualitas dicitur redundare in personam, quae substantialiter mutat personam, uti est primogenitura in magnatibus.

(4) Mancipia apud christianos jam non adsunt. Inutile per consequens est amplius loqui de hoc impedimento.

(5) Praeter haec duo vota solemnia adsunt duo vota simplicia, quae dirimunt matrimonium contrahendum, nempe, votum simplex castitatis emissum in Societate Jesu, donec vovens non sit a superiore ejectus vel dimissus cum debita licentia: et votum simplex castitatis emissum ab uxore, quae dedit licentiam viro Sacros Ordines recipiendi, ita ut ipsa nec etiam post mortem viri aliud matrimonium inire valide potest, uti cautum videtur in jure. Si vero dedit licen-

Q. *Haec duo vota dirimuntne eodem modo?*

R. Minime; nam votum emissum in religione dirimit matrimonium contrahendum, et etiam matrimonium contractum, dummodo non sit consummatum. Votum emissum in susceptione sacri ordinis dirimit tantum matrimonium contrahendum (1).

Q. *An voto solemni castitatis ligati matrimonium contrahere praesumentes incidant in poenas?*

R. Ex Const. *Ap. S.* incidunt in excom. Ordinariis reservatam: sicut etiam omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes. Cas. I. Imo si quis pertinaciter contenderet tale matrimonium esse validum, non obstante Ecclesiae prohibitione, esset haereticus ex Trid.

De impedimento cognationis.

Q. *Quid est cognatio, et quotuplex?*

---

tiam profitendi, tunc post mortem viri valide, sed illicite, matrimonium contraheret juxta saniorem DD. sententiam.

(1) Hinc si quis fecit prius votum simplex ingrediendi in religionem, et postea contraxit matrimonium, non solum peccavit contrahendo, sed peccat etiam pro prima vice petendo vel reddendo in bimestre; posset enim adhuc implere votum non consummando matrimonium, et ingrediendo in religionem sine ulla injuria conjugis. Si quis vero fecit votum suscipiendi sacros ordines, et postea contraxit matrimonium, peccavit tantum contrahendo, sed non peccat petendo vel reddendo etiam in bimestre; quia per solam contractionem matrimonii evasit prorsus inhabilis ad ordines suscipiendos.

Adverte, quod si quis fecit votum simplex castitatis, et postea celebravit matrimonium, peccavit celebrando matrimonium, semper peccat petendo, quia debet servare votum modo quo potest, et ex eadem ratione peccat reddendo in bimestre pro prima vice. Si vero fecit votum non nubendi, et postea contraxit matrimonium, peccavit tantum celebrando; at nunquam peccat petendo vel reddendo, cum non sit contra votum.

Omnia vero expressa vota reviviscunt post conjugis mortem, aut divortium perpetuum.

R. Est vinculum personarum ortum a natura, vel a lege. Est triplex: carnalis, spiritualis, et legalis.

Q. *Quid est cognatio carnalis?*

R. Est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione.

Q. *Quid est stipes?*

R. Est illa persona, a qua aliae descendunt per carnalem propagationem.

Q. *Quid est linea?*

R. Est series personarum, quae ab eodem stipite descendunt: haec est *recta*, vel *transversalis*. Linea recta est series personarum, quarum una ab altera descendit: et subdividitur in lineam ascendentium, quando nempe progredimur a genitis ad genitores; et descendentium, quando progredimur a genitoribus ad genitos. Linea transversalis, seu obliqua, est aequalis, et inaequalis: prima habetur inter personas aequaliter distantes a communi stipite; secunda habetur inter personas inaequaliter distantes a communi stipite.

Q. *Quid est gradus?*

R. Est distantia cognatorum.

Q. *Quomodo computantur gradus?*

R. In linea recta jus civile et jus canonicum conspirant, utriusque regula est: quot sunt generationes, tot sunt gradus. In linea obliqua tam aequali, quam inaequali, eadem est regula in jure civili. Jus canonicum vero pro linea obliqua aequali statuit hanc regulam: quot gradibus personae cognatae distant a communi stipite, tot gradibus distant inter se (1). Pro linea obliqua inaequali hanc aliam regulam: quot gradibus persona remotior distat a

---

(1) Hinc duo fratres sunt in primo gradu inter se, quia quisque uno gradu distat a communi stipite, nempe a patre: duo consobrini sunt in secundo gradu inter se, quia quisque duobus gradibus distat a communi stipite. Secus in jure civili: duo fratres sunt in secundo gradu inter se, quia habentur duae generationes: duo consobrini sunt in quarto gradu, quia habentur quatuor generationes.

communi stipite, tot gradibus personae cognatae distant inter se (1).

Q. *Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum?*

R. In linea recta usque in infinitum, in linea transversali usque ad quartum gradum.

Q. *Quid est cognatio spiritualis?*

R. Est propinquitas personarum orta ex collatione baptismatis aut confirmationis, vel ex susceptione in baptismate aut in confirmatione (2).

Q. *Inter quas personas contrahitur hoc impedimentum?*

R. Inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem; inter patrinum et baptizatum, baptizatique patrem et matrem. Idem dic de confirmatione.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut baptizans contrahat cognationem?*

R. Duae: ut sit baptizatus, et ut revera baptizet.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut patrinus contrahat cognationem?*

R. Istae: ut sit baptizatus, et confirmatus, si agitur de confirmatione; 2. ut teneat (h. e. phisice tangat) infantem in baptismo primo, et solemni (3); 3. ut habeat in-

---

(1) Hinc fratris filius est in secundo gradu cum suo patruo: etenim fratris filius (qui est persona remotior) est in secundo gradu cum communi stipite, nempe, cum avo; et ideo est in secundo gradu cum patruo. In jure civili autem est in tertio gradu, quia computantur tres generationes; avus enim genuit patruum, genuit patrem, a quo postea ipse genitus est.

(2) Nota. Cum cognatio ista sit de solo jure ecclesiastico, nemo illam contrahere valet, qui per baptismum ad Ecclesiam non pertinet; hinc si fidelis prolem infidelium baptizet vel teneat, tantum cum ipsa cognationem contrahit: infidelis vero quemcunque baptizans vel tenens cum nemine contrahit, idcoque ad fidem conversus matrimonium cum omnibus inire valide potest.

(3) Hinc si quis tenet in baptismo primo, sed privato, non contrahit cognationem. Si tenet in secundo, nempe dum supplentur caeremoniae in ecclesia, nec etiam contrahit. Si vero tenet dum supplentur caeremoniae, et iteratur baptisma cum conditione, quia dubitatur de valore prioris, tunc contrahit.

tentionem praestandi officium patrini; 4. ut sit ad hoc designatus (1); 5. ut non adsit error personae (2).

Q. *Quid est cognatio legalis?*

R. Est propinquitas personarum orta ex adoptione perfecta (3).

Q. *Quinam sunt effectus adoptionis perfectae?*

R. Impedimentum dirimens, et alii effectus civiles, uti in codice.

Q. *Inter quas personas contrahitur?*

R. In linea recta inter adoptantem et adoptatum, adoptatique descendentes legitimos usque ad quartum gradum (4). In linea per modum affinitatis inter adoptantem et uxorem adoptati, inter adoptatum et uxorem adoptantis. In linea transversali inter adoptatum et filios filiasque

---

(1) Ex Trid. unus vel una tantum, vel ad summum unus et una possunt designari ad officium patrini. Hinc si plures tenent successive, duo primi tantum contrahunt cognationem: si vero tenent simul, probabilius omnes contrahunt; quia Trid. decretum non est *irritans*. Si quis per procuratorem tenet, non procurator, sed ipse contrahit cognationem.

(2) Hinc si quis, contractis sponsalibus cum Berta vidua, tenet in baptismate prolem Bertae, ignorans prolem esse Bertae, potest contrahere matrimonium cum Berta; quia non adest impedimentum: si vero baptizat sive scienter, sive ignoranter, semper contrahit impedimentum. Adverte, quod si conjux baptizat, vel tenet filium communem vel alterius conjugis *scienter* et *culpabiliter* in baptismate aut confirmatione, cognationem contrahit cum alio conjuge; ac proinde amittit jus petendi debitum conjugale: unde si hoc facit ex ignorantia vel ex necessitate non peccat, et non privatur jure petendi.

Et ratio discriminis inter sponsum et conjugem ex ignorantia vel necessitate baptizantes est, quod in sponso cognatio est simplex inhabilitas, quae etiam sine culpa contrahitur; in conjuge autem est poena, ad quam requiritur culpa.

(3) Adoptio est assumptio alienae personae extraneae in filium: si fit auctoritate principis, dicitur perfecta. Ut princeps suam interponat auctoritatem in adoptione, jus civile aliquas requirit conditiones tam ex parte adoptantis, quam ex parte adoptati, ut in cod.

(4) Requiritur tamen, ut tempore adoptionis sint sub patria potestate.

adoptantis legitimos usque ad secundum gradum, durante patria potestate. In prima et secunda linea impedimentum est perpetuum, in tertia vero temporale (1).

De impedimento criminis

Q. *Quid est impedimentum criminis?*

R. Est illud, quod oritur ab uno ex his quatuor capitibus: nempe 1. ex homicidio cum conspiratione; 2. ex adulterio cum homicidio; 3. ex adulterio cum promissione matrimonii; 4. ex adulterio cum matrimonio attentato (2).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in primo capite?*

R. Istae: 1. ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adsit conspiratio ex utraque parte; 3. ut sequatur mors ex conspiratione; 4. ut sequatur causa contrahendi matrimonium (3).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur pro 2. capite?*

---

(1) Hoc de jure rom. ab Ecclesia receptum, quod in substantia idem est ac jus civile nostrum. At quoniam, ut eruitur ex resp. S. P. 17 maji 1826 ad Vic. gen. Petrocoriensem, hoc impedimentum innititur super leges civiles; ideo in dubio, an in hoc vel illo casu adsit cognatio legalis, necessario recurrendum est ad eas.

(2) Hoc impedimentum inductum est, ne daretur occasio machinandi mortem conjugis.

(3) Hinc si Titius contraxit matrimonium nullum cum Caja, e. g. ex impedimento affinitatis occulto, et postea pertaesus Cajae conspirat cum Berta, et occidunt Cajam, qua occisa, contrahit matrimonium cum Berta, valide contrahit. Si Sempronius contraxit validum matrimonium cum Antonia, et postea volens contrahere cum Francisca occidit Antoniam, Francisca contradicente, non adest impedimentum. Si vero Francisca assentit, et vulnerat Antoniam, sed Antonia non moritur ex vulnere accepto, sed ex incuria medicorum, non adest impedimentum. Si contraxit cum Antonia, et postea, conspirante Francisca, occidit Antoniam non causa contrahendi cum illa, sed ex odio, non adest impedimentum.

Nota, quod mandans ad occidendum utique contrahit impedimentum, etiamsi revocaverit mandatum, et notitia revocationis non innotuerit mandatario; quia semper ipse est causa mortis, et qui per alium facit, per seipsum facit.

R. Istae: 1. ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adulterium sit perfectum, et formale (1); 3. ut homicidium sequatur causa contrahendi cum adultera (2).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur pro 3. capite?*

R. 1. Ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adulterium sit perfectum, et formale; 3. ut adulterium et promissio sint constante eodem matrimonio; 4. et ut promissio sit vera, externa, absoluta, et acceptata (3).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur pro 4. capite?*

R. 1. Ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adulterium sit perfectum, et formale; 3. ut attentatio matrimonii fiat, vivente altero conjuge; et sit non solum materialis, sed etiam formalis, sive sit ante sive post adulterium (4).

---

(1) Quia in poenis stricta interpretatio facienda est, ideo requiritur adulterium *perfectum*, nempe, copula perfecta; et *formale*, nempe tale cognitum ab utraque parte.

(2) Hinc si Titius rem habet cum Berta nupta, putans esse solutam, et Berta occidit virum suum eau a contrahendi cum Titio, non adest impedimentum, quia adulterium fuit materiale ex parte Titii. Si vero Titius sciebat illam esse nuptam, et, ipso contradicente, illa occidit virum suum, adest impedimentum; quia in hoc capite non requiritur conspiratio in homicidio. Si vero sciens esse nuptam, occidit virum suum causa liberius fornicandi, nec etiam adest impedimentum: quia non occidit causa contrahendi matrimonium.

(3) Hinc si Titius uxoratus rem habet cum Berta soluta: postea moritur sua uxor, et contrahit cum alia: deinde vero promittit Bertae matrimonium, si secunda uxor moriatur, hac mortua, potest ducere Bertam; quia adulterium et promissio non fuerunt constante eodem matrimonio. Si Cajus uxoratus promisit Antoniae matrimonium, et postea revocavit promissionem, qua revocata, rem habuit, non adest impedimentum, quia promissio revocata habetur, ac si non fuisset facta: si vero rem habet et promittit, et postea revocat promissionem, adest impedimentum; quia impedimentum semel inductum semper durat.

(4) Scilicet, ut vivente altero conjuge et habita scientia vitae ipsius attentetur matrimonium.

Hinc si Titius uxoratus rem habet cum Berta, et postea, putans uxorem suam esse mortuam, contrahit matrimonium cum Berta, non

De impedimento disparitatis cultus.

Q. *Quando habetur hoc impedimentum*

R. Quando baptizatus vult contrahere matrimonium cum non baptizata, quamvis sit catechumena; vel viceversa. Hoc impedimentum inductum est ob periculum subversionis. (1)

De impedimento vis.

Q. *Matrimonium celebratum per vim estne validum?*

R. Si est vis absoluta, est nullum de jure naturae. Si est metus, est nullum de jure positivo, quando metus est gravis, injuste incussus, a causa libera, et ad extorquendum consensum.

Q. *Qui incutit injuste metum alteri ad contrahendum matrimonium, peccat, et incidit in aliquam poenam?*

R. Peccat graviter contra justitiam, et contra religionem; et si est magistratus, incidit in excommunicationem nemini reservatam ex Tridentino.

De impedimento ligaminis.

Q. *Quando habetur hoc impedimentum?*

---

adest impedimentum criminis; quia attentatio fuit tantum materialis.

Si vero putabat uxorem esse viventem, quae revera mortua erat, et contraxit cum Berta adultera, nec etiam adest impedimentum; quia attentatio fuit formalis tantum.

Nota. Infideles haec crimina patrantes non ligantur impedimento, quia de jure ecclesiastico; quare post baptismum possunt secum invicem criminosi contrahere. Patet etiam ex S. C. de Propag. 23 aug. 1852.

(1) Adverte, quod si catholicus contrahit matrimonium cum haeretica baptizata, vel viceversa, matrimonium est validum, sed illicitum. Esset autem licitum: 1. quando adesset dispensatio Pontificis; 2. quando adest consuetudo, ut in Germania: 3. quando haereticus vere promittit se suscepturum fidem catholicam post matrimonium, et adest causa, quare matrimonium anteponatur conversioni.

R. Quando quis, vivente suo conjuge, contrahit matrimonium cum altera persona (1).

Q. *Quaenam certitudo requiritur de morte conjugis, ut possit contrahi aliud matrimonium?*

R. Certitudo moralis. Ideo non sufficit longa absentia, vel simplex fama communis de morte.

De impedimento publicae honestatis.

Q. *Quid est hoc impedimentum?*

R. Est propinquitas personarum orta ex sponsalibus validis, certis, et absolutis (2); et ex matrimonio rato valido, vel nullo (3), dummodo non sit nullum defectu consensus (4),

---

(1) Si, qui contrahit hoc aliud matrimonium, est vir, haec multiplicatio matrimonii dicitur polygamia, quae prohibita est de jure naturae secundario. Si est foemina, dicitur biviratus, seu polyandria, quae prohibita est de jure naturae primario. Bigamia vero est conjugium unius cum pluribus successive post mortem prioris conjugis. Monogamia est conjugium inter unum et unam tantum.

(2) Hinc si quis cum voto simplici castitatis celebrat sponsalia cum Berta, et postea matrimonium cum sorore Bertae, matrimonium est validum, quia non adest impedimentum; sponsalia enim fuerunt nulla. Si quis celebrat sponsalia cum una ex filiabus Petri indeterminate, et postea celebrat matrimonium cum istarum matre vidua, matrimonium est validum, quia sponsalia fuerunt incerta. Si quis celebrat sponsalia cum Berta, si navis venerit ex Asia, et ante navis adventum celebrat matrimonium cum filia istius, matrimonium est validum, quia sponsalia fuerunt conditionata: secus si matrimonium celebrat verificata conditione, quia tunc sponsalia evadunt absoluta. Si vero contraxit sponsalia cum Berta, quae dissolvit mutuo consensu, et postea celebrat matrimonium cum sorore istius, matrimonium est nullum, quia impedimentum semel inductum semper durat.

(3) Dicitur ex matrimonio *rato*, sive valido sive nullo, quia ex matrimonio consummato oritur etiam aliud impedimentum, nempe affinitatis.

(4) Si Titius contraxit cum Berta matrimonium nullum ob copulam prius habitam cum sorore Bertae, et postea velit contrahere cum Titius consanguinea in 3. vel 4. gradu non potest; quia ex matrimonio, licet nullo, ortum est impedimentum. Si Cajus contraxit cum

vel quia in praejudicium priorum sponsalium (1).

Q. *Cur inductum est hoc impedimentum ?*

R. Ob aliquam decentiam morum servandam in sponsalibus et in matrimonio ; contrahitur enim inter unum sponsum et consanguineos alterius, etsi illegitimos.

Q. *Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum?*

R. Si oritur ex sponsalibus , extenditur usque ad primum gradum; si oritur ex matrimonio, usque ad quartum.

De impedimento affinitatis.

Q. *Quid est affinitas ?*

R. Est propinquitas personarum orta ex copula carnali sive licita, sive illicita (2).

Antonia sub conditione , *si dives es* , et divitem non inveniens vult contrahere cum sorore, potest, quia matrimonium fuit nullum defectu consensus; ideoque nullum impedimentum induxit.

Matrimonium autem dicitur nullum *defectu consensus*, quando contrahitur per vim, per errorem, aut cum ebrio, furioso, amente.

(1) Dicitur in *praejudicium*, quando quis, contractis sponsalibus cum una , velit postea contrahere matrimonium cum istius consanguinea in primo gradu. Ex hoc matrimonio nullo (si contrahitur) oritur publica honestas complectens omnes consangnineos usque ad quartum gradum, excepta tamen sponsa praejudicata. Hinc si Titius contrahit sponsalia cum Berta, et postea matrimonium cum sorore istius, hoc matrimonium nullum efficit, ut non possit contrahere cum quacunque istius consanguinea usque ad quartum gradum ob publicam honestatem ortam ex matrimonio nullo : potest tamen ducere Bertam sponsam, supra quam solam non cadit impedimentum.

Insuper nota differentiam: matrimonium nullum defectu consensus non producit ullum impedimentum; matrimonium nullum in praejudicium priorum sponsalium impedimentum producit tantum quoad *consequentia*, idest cum consanguineis sponsae; et matrimonium nullum ex alio capite inducit impedimentum quoad *antecedentia*, et quoad *consequentia*, scilicet cum sponsa, et omnibus consanguineis ejus.

(2) Ad inducendum hoc impedimentum sufficit copula habita etiam per vim, vel per errorem; dummodo sit perfecta, et per se sufficiens ad generationem: unde non contrahitur affinitas ex copula cum mortua. Dicitur copula licita h. e. ex matrimonio valido: secus illicita.

Q. *Usque ad quem gradum extenditur ?*

R. Ex copula licita usque ad quartum gradum, ex illicita usque ad secundum.

Q. *Inter quas personas contrahitur hoc impedimentum?*

R. Inter virum et consanguineos mulieris, inter mulierem et consanguineos viri (1).

Q. *Quomodo computantur gradus ?*

R. Hoc modo : eo gradu affinitatis vir distat a consanguineis mulieris, quo gradu consanguinitatis mulier distat a consanguineis suis, et vicissim.

Q. *Quo jure affinitas dirimit matrimonium ?*

R. Ex copula illicita de jure ecclesiastico : ex copula licita in primo gradu lineae rectae, utrum dirimat de jure naturae vel de jure ecclesiastico , quaestio ; in omnibus aliis gradibus de jure ecclesiastico (2).

---

(1) Unde duo fratres ducere possunt duas sorores alienae familiae, vel pater et filius matrem et filiam : vitricus contrahere potest cum vidua sui privigni, vel vitrici vidua cum privigno viri sui: etc. quia *affinitas non parit affinitatem.*

(2) Hinc si Titius contraxit matrimonium cum Berta vidua, et consummavit; postea, mortua Berta, vult contrahere cum matre istius Bertae, vel cum filia ex alio matrimonio , non potest , et forsan de jure naturae : si cum aliis consanguineis usque ad 4. gradum , nec etiam potest, sed de jure canonico.

Hoc impedimentum, quando est de jure canonico, non comprehendit infideles. Hinc infidelis, habita re cum Caja infideli, potest contrahere cum ejus sorore veniendo ambo ad fidem; nec per baptismum oritur impedimentum, quia , quod a principio non subsistit, tractu temporis convalescere non potest. At Del-Vecchio contrarium tenet ex S. C. de propag. 1852.

Si uxoratus *scienter* et *culpabiliter* rem habet cum consanguinea suae uxoris in primo vel secundo gradu, ex hac copula illicita contrahit affinitatem cum sua uxore, et in poenam privatur jure petendi: debet tamen reddere. Idem dic de nupta cum consanguineis sui viri. Dicitur *scienter*, quia ab hac poena (praeter affectatam) quaevis ignorantia sive juris, sive facti, sive poenae excusat: *culpabiliter*, quia mulier per vim oppressa excusatur; imo ex communiori et probabiliori sent. etiamsi fuisset per metum gravem inducta, nam deest culpa saltem contra legem Ecclesiae. Scavini.

Nota, quod etsi in D. N. affines incestum committentes intra 2.m

De impedimento aetatis.

Q. *Quaenam aetas requiritur ad valide matrimonium contrahendum ?*

R. Aetas pubertatis. Hinc si impuberes contrahunt, nullum est matrimonium ; validum tamen esset ex jure canon. si ad generationem jam essent habiles.

De impedimento impotentiae.

Q. *Quid est impotentia ?*

R. Est inhabilitas ad copulam habendam (1). Potest esse absoluta, si est respectu omnium; respectiva, si respectu alicujus; antecedens, si est ante matrimonium; consequens, si post; perpetua, si tolli nequit; temporalis, si tolli potest.

Q. *Quaenam impotentia dirimit matrimonium ?*

R. Antecedens et perpetua, sive sit absoluta, sive sit respectiva (2). Idque patet ex jure tam canonico , quam naturali.

Q. *In dubio an sit antecedens, vel an perpetua, quid agendum ?*

R. In hoc dubio non licet contrahere: verum si matrimonium jam contractum est, conceditur conjugibus triennium pro experientia; elapso triennio, si nullo modo copula haberi potuit, impotentia censetur antecedens et per-

---

gradum incidant in excom. Ord. reser. uti dictum est in cap. *de peca. turpibus:* tamen certum est in eam non incurrere maritum, qui ad uxorem accedit, postquam ejus consanguineam intra 2.^{m} gradum carnaliter cognoverit ; nam copula est matrimonialis, non fornicaria neque directe incestuosa. Idem dic de uxore.

(1) Hinc si quis est habilis ad coeundum, et impos ad generandum, potest contrahere, sterilitas enim non est impedimentum. Sed ob defectum veri seminis nulliter contrahit qui caret utroque teste: secus qui habet unum.

(2) Hinc validum est matrimonium cum constituta in articulo mortis.

petua, et declaratur nullum matrimonium a judice ecclesiastico ad vitandum scandalum (1).

De impedimento clandestinitatis.

Q. *Quid est clandestinitas?*

R. Est quando celebratur matrimonium, sed non coram proprio parocho et duobus testibus; haec dicitur clandestinitas propria. Si vero matrimonium celebratur sine denuntiationibus, dicitur clandestinitas impropria (2).

Q. *Quinam parochus debet assistere matrimonio?*

R. Parochus domicilii, vel quasi-domicilii viri aut mulieris (3). Sed ex consuetudine matrimonium celebratur coram parocho mulieris.

---

(1) At hodie, omisso triennali experimento, sufficit petitio conjugis impotentiam alterius affirmantis, et judicium peritorum et obstetricum post phisicum examen rite peractum. Ita S. C. C. 24. Jan. 1871. Si vero matrimonium in hoc casu nullum declaratur, et impotentia revera non adest, validum semper est; quia declaratio innititur falso supposito.

(2) Matrimonium improprie clandestinum est illicitum, sed validum; proprie clandestinum est invalidum, ubi recepta fuit lex Tridentini; alibi vero est illicitum, sed validum.

(3) Ad valide contrahendum matrimonium ratione qnasi-domicilii sufficit mora saltem unius mensis in loco ubi celebratur. Ex Const. Ben. XIV. *Paucis*. Vagi debent celebrare matrimonium coram parocho illius loci, in quo versantur, consulto Ordinario. Parochus si est invitus, vel contradicit, vel affectat se non audire, non videre, si est excommunicatus, suspensus, interdictus, valide assistit matrimonio. Etiam valide assistit parochus diaconus; si tamen velit alteri delegare, debet delegare sacerdoti, non alteri diacono. Ita ex S. C. C.

Adverte, quod si parochus alienae paroeciae sine licentia proprii parochi assistit matrimonio, incidit in suspensionem absolvendam ab Ordinario parochi proprii domicilii ex Trid.

Adverte etiam, quod matrimonium celebratum absque praesentia parochi, vel testium ob necessitatem, aut ignorantiam, est semper nullum. Excipe si necessitas sit communis in aliqua Provincia, quando per spatium mensis nec ad Superiorem recursus, nec Parochus, nec ejus venia haberi potest; quia tunc sufficit contrahere coram testibus. Ex declar. Pii VI an. 1793, et S.C.I. apud Baller. ad Gury.

Q. *Datur casus, in quo valet matrimonium coram sacerdote non parocho ?*

R. Maxime : quando adest error communis et titulus coloratus.

Q. *Matrimonium celebratum a peregrinis sine Parocho et testibus estne validum ?*

R. Si est in illis locis, ubi receptum est Tridentinum, est nullum ; quia etiam peregrini obligantur legibus locorum quoad contractus. Si ubi non fuit receptum Tridentinum, subdistinguo : si accedunt in *fraudem* (h. e. solo animo sic contrahendi), *quin illuc habitationem transferant* est nullum ; secus, validum (1).

Q. *Quinam possunt esse testes in matrimonio ?*

R. Omnes quicunque intelligunt id, quod agitur. Tam testium, quam parochi praesentia debet esse simul physica et moralis.

Q. *Omittere duas, vel omnes tres denuntiationes estne grave peccatum ?*

R. Sine justa causa est peccatum grave, secus non; sed supplendae sunt ante matrimonii consummationem ex Trid. Parochus autem assistens matrimonio , omissis sine justa causa denuntiationibus, de jure communi est suspendendus ab officio per triennium (2).

---

(1) V. decl. S. C. C. confirm. ab Urbano VIII. 14. aug. 1627. Quod autem dictum est de peregrinis intellige de ambobus sponsis ; nam si unus tantum absque domicilii translatione cum incola illius loci, ubi non viget Trid., clandestino contrahat, matrimonium valet, quia persona exempta a lege Trid. ob individuitatem contractus privilegium alteri communicat. Ita Clemens XIII. ad Archiep. Mechlinensem 1767.

(2) Denuntiationes faciendae sunt in paroecia utriusque contrahentis, inter *Missarum solemnia* (h. e. in missa parochiali vel conventuali), tribus diebus festivis continuis, sed non immediatis. Si matrimonium postea differtur, elapsis duobus mensibus, denuntiationes sunt repetendae. In his autem justa de causa potest Ordinarius dispensare ex Trid.

In D. N. si quis moratus sit per quatuor menses in nova paroecia, ibi faciendae sunt omnes denuntiationes : si vero per minus tempus

De Impedimento raptus.

Q. *Quid est raptus?*

R. Est violenta abductio foeminae de loco in locum causa contrahendi matrimonium (1).

Q. *In quas poenas incidunt raptores?*

R. In infamiam, in impedimentum dirimens, et in excommunicationem nemini reservatam, in quam etiam incidunt consilium dantes, auxilium et favorem praestantes ex Trid. (2).

---

moratus sit, una denuntiatio facienda est in paroecia nova, et duae in veteri. Factis denuntiationibus, tenentur omnes (etiam ipsi contrahentes) manifestare omnia impedimenta sive dirimentia, sive impedientia sub poena excom. nemini reservatae; etiamsi illa probare non possint, vel sciant sub secreto aut juramento non manifestandi; agitur enim de bono proximi, et valore sacramenti. Parochus assistens matrimonio sine denuntiationibus incidit in poenam centum aureorum distribuendorum in dotandis puellis. Contrahentes matrimonium absque denuntiationibus: nec non consulentes, auxilium praestantes, et testes *scienter* praesentes excom. nemini reservatae obnoxii sunt. Postremo falsum aliquod matrimonii impedimentum *dolose* objicientes, et consilium vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes excom. Ord. reservatam incurrunt. C. VI. Ubi attendenda est particula illa *dolose*: quare ab hac censura excusat omnis ignorantia, excepta affectata.

(1) Violentia potest esse tam phisica quam moralis, ut inducat impedimentum: idest ex metu incusso, vel dolo adhibito. Si foemina consentit, vel si dissentiens abducatur de loco in locum non causa matrimonii, sed causa explendi libidinem, non est raptus canonicus, et non adest impedimentum. Si foemina rapit virum, nec etiam adest impedimentum, quia Trid. tantum de viro raptore loquitur.

(2) Si vero fuerint Clerici de proprio gradu decidunt. Et nota quod raptores in excomm, et impedimentum incidunt statim: in alias poenas post judicis sententiam.

Item dictae poenae non incurruntur ab eo, qui ab aliis jam raptam mulierem domi suae retinet; cum raptus jam sit comsummatus. Sed verius incurrit sponsus de futuro, qui rapuerit sponsam; etiamsi id egerit per alium, quia indistincte loquitur Trid. et mandans quoque incidit in poenas.

Q. *Matrimonium celebratum a raptore cum rapta estne validum ?*

R. Si mulier est posita in loco tuto, est validum : si non est posita in loco tuto , etiamsi consentiat, est nullum (1).

De modo, quo convalidari potest matrimonium nullum, et de dispensatione in impedimentis.

Q. *Quomodo convalidatur matrimonium nullum ?*

R. Si est nullum defectu consensus, puta, per errorem, per metum, etc. convalidatur per appositionem consensus: si nullum ob disparitatem cultus, per novum consensum post baptismum: si ratione raptus, per novum consensum, postquam rapta posita sit in loco tuto: si ob impedimentum ligaminis , per novum consensum post mortem conjugis (2): si ob clandestinitatem , per novum consensum

---

(1) Si mandatarius celebrat matrimonium cum puella , quam ipse rapuit non pro se, sed nomine mandantis, validum est matrimonium.

(2) Iste novus consensus , si impedimentum est publicum, vel est notum parocho aut testibus, praestari debet coram parocho et testibus: secus sufficit, ut secreto praestetur inter partes.

Nota I. Si in impedimento ligaminis post contractum matrimonium ambo conjuges sciverint priorem conjugem adhuc vivere, et eo vivente carnaliter sese cognoverint, eodem postea mortuo, eorum matrimonium non convalidatur per simplicem appositionem novi consensus ; sed opus est dispensatione ob impedimentum criminis ratione adulterii formalis cum matrimonio attentato. Nec obstat, quod ab initio attentatio fuerit tantum materialis; nam postea per adulterium fit formalis in usu, uti communiter tenent DD.

Nota II. Si confessarius noverit poenitentem invalide contraxisse matrimonium ob aliquod impedimentum occultum ex delicto proveniens, et periculum sit infamiae, scandali, aut incontinentiae, si nullitatem manifestet; tunc debet omittere monitionem et illum relinquere in bona fide, donec obtineat dispensationem ; quia melius est permittere peccatum materiale, quam praebere occasionem certi peccati formalis. Lig. VI. 611. Obtenta vero dispensatione necesse est, ut, certiorata utraque parte de nullitate prioris matrimonii , novus

coram parocho et testibus: si est nullum ob aliud impedimentum, fit validum per dispensationem.

Q. *Quinam potest dispensare in impedimentis impedientibus?*

R. Distinguo: in tempore sacrato, et in vetito potest episcopus; in voto potest etiam episcopus, dummodo non sit reservatum, quia in votis reservatis dispensat Pontifex; in sponsalibus vero, si non adest justa causa, nec etiam dispensat Pontifex, quia sunt de jure naturae.

Q. *Quinam in impedimentis dirimentibus?*

R. Etiam distinguo: in iis, quae sunt de jure naturae, nemo potest dispensare; in iis vero, quae sunt de jure positivo, regulariter loquendo, dispensat summus Pontifex: dico regulariter loquendo, quia potest aliquando dispensare etiam episcopus tam pro matrimonio contrahendo, quam pro contracto. Potest pro matrimonio contrahendo, quando concurrunt sequentes conditiones: 1. adest difficilis accessus ad Pontificem; 2. impedimentum est oc-

---

praestetur consensus ad illud revalidandum: quare a DD. varii assignantur modi renovandi, seu exigendi consensum a parte inscia impedimenti absque ulla manifestatione delicti, uti videre est apud Lig. n. 1116. 1117. Scavin. etc. Sed optimus mihi videtur cum Porpora modus esse, si confessarius (habita debita licentia, quum rem scit ex Confessione) ante se contrahentes vocet, eisque dicat: *Conscientia mihi dictat vestrum matrimonium fuisse nullum: ad hanc meam conscientiam sedandam consensum renovate* etc. et ita curet ab utroque consensum excipere.

Si nullo modo haberi potest consensus illius, qui impedimentum ignorat, recurratur ad S. Sedem pro opportuno remedio: et Pontifex bene potest dispensare, ut matrimonium convalidetur sine novo consensu, modo impedimentum fuerit de jure ecclesiastico; tunc enim Papa aufert impedimentum in *radice* matrimonii, retrotrahendo contractum ac si ab initio impedimentum abfuisset. Quae sane dispensatio obtenta sub narrativa, quod alter conjux impedimentum ignoret, nulla est, si iste impedimentum sciat ante petitam obtentamque dispensationem: non tamen attenditur scientia, aut dissensus post dispensationem superveniens. Bened. XIV. constit. *Etsi matrimonialis* 27. Sept. 1758.

cultum; 3. et matrimonium differri non potest sine gravi scandalo, vel damno. Potest pro matrimonio contracto, his habitis requisitis, nempe quando 1. est difficilis accessus ad Pontificem; 2. matrimonium contractum est in faciem ecclesiae, praemissis denuntiationibus; 3. impedimentum est occultum, et adest bona fides, saltem ex parte unius; 4. partes separari non possunt sine gravi scandalo, vel damno (1).

---

(1) Dispensatio peti debet a Sacra Dataria, si impedimentum est publicum: si vero est occultum et proveniens ex delicto, a Sacra Poenitentiaria. Si vero matrimonium jam contractum est, potest etiam Sacra Poenitentiaria dispensare in 2. et 3. consanguinitatis, et in 2. gradu affinitatis, dummodo impedimentum sit occultum. Si vero est publicum, potest etiam dispensare in 3. gradu consanguinitatis, dummodo ante contractionem matrimonii a S. Dataria obtenta fuit dispensatio, quae fuit obreptitia, vel subreptitia, dummodo obreptitia non fuerit ob expositionem falsae copulae. Dicitur dispensatio obreptitia, quando exponitur falsitas: dicitur subreptitia, quando reticetur veritas, quae de jure vel stylo Curiae exprimi debet, puta, si consanguinei copulam habuerunt sub spe facilius obtinendi dispensationem.

Adverte I. quod si obtenta est dispensatio ob plures causas expositas, quarum una sit falsa, si causae fuerunt expositae per modum unius, dispensatio est nulla: si non fuerunt expositae per modum unius, nempe, quando unaquaeque ex se erat apta ad dispensationem obtinendam, dispensatio est valida. In dubio autem an causa fuerit finalis vel impulsiva, vera vel falsa, valida habetur dispensatio; quia in dubiis standum est pro validitate actus.

II. Quod si quis in gradu inequali obtinuit dispensationem manifestando gradum remotiorem consanguinitatis vel affinitatis, et reticendo propinquiorem; tunc si hic est primus, dispensatio est nulla: sin ulterior, valida sed illicita, ideoque necesse est impetrare a S. Sede *literas declaratorias* super gradu propinquiori.

III. Quod si quis post obtentam dispensationem super impedimentum occultum affinitatis, iterum ante dispensationis executionem rem habuerit cum eadem consanguinea suae sponsae, nova non indiget dispensatione: sic quoque probabilius dicendum, si copula fuerit post executionem. At omnino nova requiritur dispensatio, si copula fuerit cum alia sponsae consanguinea intra 2.^{m} gradum.

IV. Quod ex veriori sententia nova requiritur dispensatio, si post ob-

Q. *Potestne Episcopus dispensare ad petendum debitum conjugale in impedimentis matrimonio supervenientibus ob affinitatem, cognationem spiritualem, etc.?*

R. Maxime ex consuetudine: sicut etiam ob votum perpetuae castitatis sive ante sive post matrimonium emissum, modo non fuerit emissum mutuo consensu conjugum. Lig. lib. VI. 1126.

De formula dispensandi in foro interno.

Si Confessario data est potestas dispensandi, tunc postquam absolverit a peccatis, hoc vel alio simili modo addat consequenter:

I. In matrimonio: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi* (vel *secundi*, vel *primi et secundi*, etc.) *gradus, proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore* (aut alia consanguinea) *mulieris*, (vel exponitur alia causa impedimenti) *cum qua contraxisti* (aut *contrahere intendis*), *ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu* (vel *ut matrimonium cum illa contrahere possis*), *et prolem, quam suscepisti* (vel *suscipies*), *legitimam declaro. In nomine Patris* ✠ etc.

Si vero dispensetur in radice: *Et insuper auctoritate*

---

tentam dispensationem super gradu prohibito, et ante ejus executionem sponsi copulam inter se habuerunt: probabiliter vero non requiritur, si copula post executionem sit habita; etiamsi in dispensatione sit clausula *modo copula non interfuerit*. Lig. VI. 1140. 1141.

V. Quod si imminet mors alicujus contrahentis, et est necessarium matrimonium ad legitimandam prolem, ad vitandam mulieris infamiam, vel alia damna; aut si omnia sint parata, et sponsus in confessione manifestat impedimentum occultum, quin tamen matrimonium differri possit ob grave damnum; tunc juxta graves DD. potest etiam Parochus aut Confessarius dispensare (seu potius declarare quod cesset in eo casu lex impedimenti), dummodo non sit facilis ad Episcopum recursus. Post contractionem vero recurrat ad Superiorem. Lig. VI. 613.

Apostolica mihi concessa matrimonium a te contractum cum N. in radice ejus sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris etc.

II. In voto: *Et insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere et illo uti, auctoritate Apostolica dispenso* (vel *in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto*). *In nom.* etc.

Si vero jam contractum sit matrimonium: *Et insuper non obstante voto, quod emisisti, ut in matrimonio remanere et debitum conjugale exigere possis, auctoritate Apostolica tecum dispenso. In nomine* etc.

Eadem formula servetur in dispensatione affinitatis, vel cognationis spiritualis post matrimonium contractae, mutatis verbis *non obstante voto quod emisisti* in istis *non obstante affinitate,* vel *cognatione spirituali quam contraxisti.*

III. In irregularitate: *Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate* (vel *irregularitatibus*, si sint plures), *in quam* (vel *in quas*) *ob talem causam* (vel *tales causas*, eas exprimendo) *incurristi: et habilem reddo, et restituo te executioni Ordinum et officiorum tuorum. In nomine Patris* etc.

Si vero nullum habeat Ordinem, dicatur: *et habilem te reddo ad omnes Ordines suscipiendos*, vel etiam ad alia juxta tenorem mandati.

DE POENITENTIA.

Q. *Quid est poenitentia?*

R. Poenitentia duplici modo considerari potest, nempe, uti virtus, et uti sacramentum. Uti virtus definitur: Virtus supernaturalis, quae peccatorem movet ad detestanda peccata commissa, quatenus sunt offensa Dei, cum proposito non peccandi de caetero, et satisfaciendi divinae justitiae. Uti sacramentum definitur: Signum sensibile a Christo Domino institutum ad delenda peccata post baptismum commissa per actus poenitentis, et per absolutionem sacerdotis.

Q. *In quo conveniunt, et in quo disconveniunt virtus et sacramentum poenitentiae?*

R. Conveniunt in hoc: tam virtus, quam sacramentum exigunt dolorem et propositum, et justificant peccatorem. Disconveniunt in hoc: virtus poenitentiae, ut justificet, requirit dolorem perfectum; in sacramento sufficit dolor imperfectus. Virtus poenitentiae fuit quovis tempore omnibus necessaria; sacramentum vero est proprium christianorum.

Q. *Sacramentum poenitentiae estne necessarium?*

R. Maxime: omnibus lapsis post baptismum est necessarium necessitate medii in re, vel saltem in voto (1).

De materia sacramenti poenitentiae.

Q. *Quotuplex est materia sacramenti poenitentiae?*

R. Alia est remota, alia proxima. Materia remota sunt peccata commissa post baptismum (2). Materia proxima sunt actus poenitentis.

Q. *Quotuplex est materia remota?*

R. Triplex: necessaria et sufficiens, et sunt peccata mortalia nondum rite confessa; necessaria et non sufficiens, et sunt peccata mortalia dubia facti (3); sufficiens et non

---

(1) Votum, seu desiderium recipiendi sacramentum poenitentiae continetur virtualiter, seu implicite in actu perfectae charitatis, vel n actu perfectae contritionis, vel in martyrio.

(2) Peccatum originale et personalia peccata commissa ante baptismum non possunt esse materia hujus sacramenti, quia tolluntur per baptismum. Peccatum vero fortasse commissum in susceptione baptismatis, puta, fictio in baptismate, est materia hujus sacramenti.

(3) Si quis certus de suo peccato dubitat de jure seu de gravitate, nempe, utrum fuerit grave an leve, potest de hoc absolutionem recipere. Si vero dubitat de facto, seu de existentia sui peccati, si non addat aliquod peccatum certum transactae suae vitae, non potest recipere absolutionem; materia enim sacramenti debet esse certa. Si autem confessario manifestavit suum peccatum uti dubium, et post absolutionem recordatur certo ab ipso commissum fuisse, debet denuo illud uti certum confiteri, ut confessarius efformet certum judicium.

necessaria, et sunt peccata venialia (1), vel mortalia alias rite confessa (2), quae possunt, sed non debent subjici absolutioni.

Q. *Quot sunt actus poenitentis, qui materiam proximam constituunt?*

R. Sunt tres: cordis contritio, oris confessio, et satisfactio.

Q. *Quid est contritio?*

R. Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero. Iste dolor, si concipitur ex motivo amoris erga Deum, dicitur proprie contritio: si concipitur ex motivo imperfecto, puta, gehennae, dicitur attritio (3).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in dolore, sive sit contritionis, sive sit attritionis?*

R. Debet esse internus, appretiative summus (4), universalis (5), et supernaturalis tam ex principio, quam ex

---

(1) Peccata venialia possunt esse materia hujus sacramenti, et oppositum est damnatum a Tridentino.

(2) Si quis confitetur peccatum aliquod mortale, alias rite confessum, non tenetur dicere confessario, se alias jam absolutum fuisse ab illo peccato. Excipe, si illi peccato adnexa sit reservatio, vel censura, vel alia obligatio, vel aliqua circumstantia mutans speciem peccati, e. g. si sacerdos aliquod turpe commiserit ante ordines; tunc enim tenetur, ut Confessarius rectum judicium efformet.

(3) Contritio ab attritione differt non solum ratione motivi, sed etiam ratione effectus. Contritio enim justificat etiam ante perceptionem sacramenti, uti ex Tridentino; et quando est multum vehemens, remittit etiam totam poenam. Attritio vero justificat in sacramento.

(4) Dolor appretiative summus est, quando quis peccatum, ut summum malorum apprehendit, detestatur, et est deinceps paratus omnia potius mala sustinere, quam iterum peccare.

(5) Idest, ut complectatur omnia peccata mortalia commissa. Si quis vero confiteatur sola venialia, sufficit, ut detestetur saltem unum; secus absolutio esset invalida.

Imo in hoc casu potest etiam quis confiteri de aliquo peccato graviori anteactae vitae circa aliquod praeceptum (sufficit autem ut confiteatur declarando aliquam materiam quoad genus, e. g. *Me accuso*

motivo (1).

Q. *Requiriturne aliquis amor initialis in attritione?*

R. Maxime. Iste tamen amor initialis non requiritur, ut sit praedominans, quicquid dicant alii.

Q. *Quanto tempore potest dolor praecedere absolutionem?*

R. Tanto tempore, ut constituat unum morale cum absolutione. Hinc sufficit, ut dolor sit virtualiter perseverans.

Q. *Qui post absolutionem recordatur alterius peccati, de quo velit novam recipere absolutionem, debetne elicere novum actum doloris?*

R. Distinguo: si dolor conceptus est de omnibus suis peccatis in genere, non debet, quia virtualiter perseverat; si vero dolor conceptus est in specie, nempe, de illis tantum, quae prius confessus est, debet elicere novum actum doloris. At ex D. Ligorio in praxi semper tutius est elicere novum.

Q. *Requiritur cum dolore propositum?*

R. Maxime: et probabilius debet esse explicitum; sed post factum, si quis bona fide confessus est cum proposito implicito, non tenetur repetere confessiones. Vide Lig. Hom. Ap. tr. XVI. n. 26.

---

de peccatis superbiae, luxuriae, etc.) ut habeat materiam certam ac determinatam, super qua inniti possit absolutio. Lig. Hom. Ap. tr. ult. n. 9.

(1) Debet dolor esse supernaturalis *ex principio*, idest, requiritur, ut concipiatur auxilio gratiae Dei; et supernaturalis etiam *ex motivo*, idest, requiritur, ut concipiatur ob motivum a fide propositum, nempe, vel ob offensam Dei summi boni, vel ob gehennam, vel ob peccati turpitudinem a fide propositam.

Adverte, quod ex defectu inculpabili doloris datur sacramentum validum, sed informe, idest, sine gratia, quicquid dicant alii. E.G. Si quis duo mortalia habeat, furtum nempe et perjurium; dein memor tantum furti de eo tantum doleat et absolutionem accipiat; hoc Sacramentum est validum, cum nihil ad ejus valorem desit; sed gratiam non confert, quia dolor ad peccata oblita non se extendit. Restat ergo, ut Sacramentum, sublato obice h. e. detestato peccato oblito, reviviscat ad causandam gratiam, nec postea sit obligatio repetendi peccatum jam confessum, sed solum omissum. Lig. VI. 444.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in proposito?*

R. Ut sit firmum, efficax, et universale (1).

Q. *Quid est confessio?*

R. Est accusatio propriorum peccatorum, facta sacerdoti facultatem habenti, ad obtinendam veniam per absolutionem.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in confessione?*

R. Requiritur, ut sit dolorosa, vera, et integra.

Q. *Quid denotat ut sit dolorosa?*

R. Ut fiat ex animo detestante peccatum (2).

Q. *Quid denotat ut sit* vera?

R. Ut fiat sine mendacio. Mentiri enim in confessione circa materiam necessariam esset grave peccatum; circa materiam voluntariam, leve.

Q. *Quid denotat, ut sit* integra?

R. Ut manifestentur omnia peccata mortalia (3).

Q. *Quotuplex est integritas?*

R. Duplex: materialis, et formalis. Prima est, quando quis confitetur omnia peccata mortalia in specie, numero et circumstantiis, prout fuerunt commissa. Secunda est, quando quis in sua confessione aliquid inculpabiliter omittit ob impotentiam physicam, vel moralem (4).

---

(1) Si quis tamen confitetur solum venialia, sufficit, ut propositum habeat saltem de uno. Propositum vero est firma, ac sincera voluntas non peccandi de caetero cum auxilio gratiae Dei: et dicitur *firmum*, idest sine ullius temporis restrictione: *efficax*, idest paratum adhibere media ad vitanda peccata: *universale*, quando extenditur ad omnia mortalia.

Nota quod non obstat firmitati propositi timor peccandi ex propria fragilitate: imo est signum veri propositi, nam qui timet, non vult.

(2) Hinc tutius est elicere actum doloris ante confessionem; quod si fit post, sufficit, ut poenitens post actum doloris dicat: *Iterum me accuso de omnibus peccatis confessis:* et dein recipiat absolutionem. Lig.

(3) Hinc si quis prius confitetur omnia sua peccata mortalia, et postea alteri confessario confitetur sua venialia, non committeret sacrilegium; committeret vero, si prius confiteretur venialia, et absolutionem reciperet, et postea mortalia.

(4) Impotentia physica habetur, quando quis non potest peccata

Q. *Quaenam integritas requiritur?*

R. Requiritur materialis, sed in ejus defectu sufficit formalis ex Trid.

Q. *Quaenam circumstantiae sunt manifestandae, ut confessio sit integra?*

R. Mutantes speciem, et in infinitum aggravantes vel minuentes sunt manifestandae ex Tridentino. Circumstantiae vero notabiliter aggravantes vel minuentes, quando inducunt reservationem vel censuram, aut quando Confessarius interrogat ad medicinam vel restitutionem imponendam, sunt etiam manifestandae: in aliis casibus quaestio. Lig. VI. 468.

Q. *Actus externus additne aliam malitiam actui interno, et estne exprimendus in confessione?*

R. Aliam malitiam diversae speciei, nego; ambo enim idem respiciunt objectum: ejusdem speciei, concedo, quatenus aggravat peccatum intra eandem speciem: et semper est in confessione aperiendus ob rectum judicium Confessarii, ob censuras, reservationes, vel restitutionis obligationem, quae nonnisi actui externo adnectuntur: uti patet ex prop. 25. damnata ab Alex. VII.

---

sua manifestare vel ob oblivionem inculpabilem, vel defectu linguae, temporis, etc. Moralis habetur, quando ex manifestatione peccati probabiliter timetur grave damnum spirituale vel temporale (confessioni extrinsecum) sui, vel Confessarii, vel proximi; e. g. si mulier ex confessione peccati prudenter timeat fore a confessario sollicitanda. Si immineat naufragium aut praelium, in quo possunt simul absolvi omnes, saltem in genere dicentes: *se esse peccatores*. etc. Cessante vero impedimento, peccata in confessione omissa, seu oblita sunt in sequenti confessione manifestanda: et oppositum est damnatum ab Alex. VII. Adverte, quod magnus concursus populi nunquam est causa dimidiandi confessionem, uti ex propositione damnata ab Innoc. XI.

Insuper valde probabile est, quod, si quis post confessionem recordetur alicujus peccati lethalis inculpabiliter obliti, possit ad Communionem accedere, praecipue si qua sit causa, modo in confessione praecedenti universalem habuerit dolorem, per quem peccatum fuit indirecte remissum, et cum onere illud declarandi in sequenti confessione ad satisfaciendum praecepto divino integre confitendi. Lig. Hom. Ap. XV. 23.

Q. *Qui non potest manifestare peccatum suum, nisi manifestando complicem, tenetur illud confiteri?*

R. Maxime: complex enim cessit juri suo, nec apud confessarium datur complicis diffamatio (1).

Q. *Qui non potest confiteri, nisi per interpretem, tenetur ad confessionem?*

R. Tenetur in periculo mortis, vel quando diu manere deberet in peccato; in hoc casu tamen sufficit, ut confiteatur unum peccatum, licet veniale, ut directe ab isto, et indirecte ab aliis absolvatur. Vide Ligor: lib. VI. n. 479.

Q. *Quid si poenitens non potest assignare numerum certum suorum peccatorum?*

R. Debet manifestare numerum probabilem, vel saltem statum suae vitae; h. e. tempus habitudinis, et quoties per diem, per hebdomadam, etc. peccare consueverit.

Q. *Qui fecit aliquam confessionem invalidam, tenetur cum illa omnes subsequentes confessiones renovare?*

R. Si subsequentes confessiones fecit mala fide, tenetur; secus sufficit, ut illam solam renovet (2).

---

(1) Adverte, quod confessarius prohibere debet poenitenti manifestationem complicis (seu socii criminis in quacunque materia), quando non est necessaria ad integritatem confessionis. Confessarius vero extra necessitatem interrogans de complice graviter peccat: si autem negat poenitenti absolutionem, nisi manifestet nomen complicis, suspendendus est ab audiendis confessionibus; et, modo ex simplicitate hoc non fecerit, incidit in poenam denuntiationis faciendae non ab ipso poenitente, sed ab aliis, qui forte sciant hoc Confessarii delictum. Tandem praesumptuose docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis incidunt in excommunicationem Papae reserv. ex Ben. XIV: confirm. a Pio IX. in Const. *Ap. S.* Cas. I.

Unde ex D. Lig. quando tenetur poenitens complicem patefacere ad aliquod grave damnum impediendum, tantum poterit Confessarius ei imponere in genere, ut illum revelet alicui, qui scandalum possit impedire, sed nunquam sibi. Et si poenitens ex se et sponte rogaret Confessarium, ut complicem corrigeret, caute agendum, quia plerumque non expedit. Lib. VI. 492.

(2) Qui omnes confessiones suas fecit invalide, tenetur ad confessionem generalem.

Q. *Si quis morbo correptus nullo modo potest confiteri, potest absolvi?*

R. Maxime: si dat signa poenitentiae. Si vero nec signa dare potest, etiam potest absolvi; sed sub conditione, ne nullitati Sacramentum exponatur (1).

Q. *Potest confessio fieri, vel absolutio dari per epistolam vel per internuncium?*

R. Minime: est damnatum a Clem. VIII. Debet enim fieri confessio sacerdoti praesenti, saltem praesentia morali, quando nempe elatiori voce potest audiri (2).

Q. *Quid est satisfactio?*

R. Est poena temporalis a confessario imposita poenitenti ad Dei justitiam satisfaciendam. Est vindicativa vel medicinalis, prout datur ad vindicanda aut praecavenda peccata; in re vel in voto. In voto, seu in intentione, est pars essentialis sacramenti; in re, seu in executione, est pars integralis.

Q. *Quaenam opera imponi debent pro satisfactione?*

R. Ea, quae reducuntur vel ad orationem, vel ad jejunium, vel ad eleemosynam (3); et quidem proportionata tum peccatis, tum facultati poenitentis.

---

(1) Imo etiamsi sensibus sit destitutus in actu peccati, puta adulterii, duelli, etc. modo sit catholicus; prudenter enim praesumi potest, quod tunc det signa poenitentiae, quae ab adstantibus non percipiuntur. Idem dic de ebriis. Haeretici autem *ex professo*, qui summopere a confessione abhorrent, non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant: cum aliis haereticis mitius agi potest.

(2) Unde absolvi potest poenitens, qui e confessionali recessit se absolutum existimans, si certo constet esse adhuc intra paucos passus. In dubio autem sufficientis praesentiae, vel dispositionis poenitentis, absolutio danda est sub conditione: *Si capax es*; modo gravis adsit necessitas, puta, quando quis ab alto ruit, in mare submergitur, in magno conflictu, etc.

(3) Opera aliunde praecepta imponi non debent, nisi in casu necessitatis. Adverte, quod si confessarius obliviscitur satisfactionem imponere, tenetur poenitens illum rogare, ut imponat; satisfactio enim semper imponenda est, excepto tantum casu, quo quis morti proximus nec etiam levissimam (uti percussio pectoris, invocatio SS. no-

Q. *Qui post absolutionem aliud peccatum confitetur, et novam accipit absolutionem, debet illi confessarius novam imponere satisfactionem?*

R. Licet alii aliud sentiant, novam satisfactionem, saltem levem, imponere debet; ut sentit etiam D. Ligorius.

Q. *Qui satisfactionem non adimplet, peccat graviter an leviter?*

R. Si non adimplet satisfactionem gravem impositam pro peccatis gravibus, nondum rite confessis, peccat graviter: si levem pro venialibus, leviter. In aliis casibus, utrum peccat graviter vel leviter, quaestio (1).

Q. *Qui satisfactionem adimplet in statu peccati mortalis, satisfacit suae obligationi?*

R. Maxime, quicquid dicant alii. Verum non excusatur a culpa veniali.

Q. *Potest poenitens adimplere suam satisfactionem per alium?*

R. Minime; et oppositum est damnatum ab Alex. VII.

Q. *Potest poenitens suam satisfactionem commutare in melius?*

R. Minime; quia haec commutatio est actus jurisdictionis.

Q. *Potest confessarius commutare in confessione satisfactionem ab alio confessario impositam?*

R. Maxime, quando adest causa. Si vero satisfactio imposita sit a superiore pro peccatis reservatis, et adest justa causa eam commutandi, et non potest poenitens facile adire superiorem, potest etiam confessarius commu-

---

minis Jesu, etc.) posset implere. Confessarius vero in imponenda satisfactione sufficit, ut recordetur status poenitentis. Et expedit, ut satisfactio quamprimum adimpleatur, nisi tempus sit a Confessario designatum; nam ex D. Lig. non peccat qui eam differt per mensem, modo non sit medicinalis, et in posterum fieri possit. Hom. Ap. XVI. 57.

(1) Quaenam dicenda sit satisfactio gravis, quaenam levis, vide dicta de materia voti pag. 87. in (2), par enim est ratio.

tare. Facta tamen commutatione, potest poenitens licite redire ad primam satisfactionem.

Q. *Potest adimpleri satisfactio ante absolutionem?*

R. Maxime. Imo imponi expedit, quando timetur, ne poenitens satisfactionem omittat; aut quando requiritur ad cognoscendam poenitentis dispositionem.

Q. *Quaenam causae excusant ab adimplenda satisfactione?*

R. Impotentia, vel nullitas confessionis (1).

Q. *Potest satisfactio applicari etiam defunctis?*

R. Maxime. Ex opere operato prodest poenitenti, et ex opere operantis defunctis.

De forma sacramenti poenitentiae.

Q. *Quaenam est forma hujus Sacramenti?*

R. *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Verba *te absolvo* juxta omnes sunt de essentia: *a peccatis*, est quaestio: alia verba per omnes non sunt de essentia (2).

---

(1) Quando nulliter recepta est absolutio, non confectum est sacramentum, et per consequens non adest obligatio adimplendi satisfactionem.

Quando satisfactio evadit impossibilis ob impotentiam physicam vel moralem, cessat obligatio eam adimplendi. Hinc poenitens oblitus satisfactionis sibi impositae, dicunt multi DD. apud D. Ligorium, quod non teneatur denuo confiteri peccata sua alteri confessario, ut alia sibi imponatur satisfactio.

(2) En modus utendi praedicta forma ex Rit. Rom. Confessarius, injuncta poenitenti et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.* Deinde, dextera versus poenitentem elevata, dicit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis,* (*suspensionis*, si poenitens sit clericus saltem tonsuratus) *et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris* ✠ *et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi,*

Q. *Absolutio sub conditione data estne valida?*

R. Si conditio est de futuro, est nulla: si est de praeterito vel de praesenti, et conditio est vera, est valida; et stante causa, est etiam licita. Sed sufficit, ut conditio sit mente retenta.

Q. *Absolutio a censuris estne praemittenda absolutioni a peccatis?*

R. Maxime; alias illicite absolveret confessarius (1).

Q. *Cui danda, cui neganda, cui absolutio est differenda?*

R. Absolutio danda est poenitentibus, quos confessarius prudenter et probabiliter judicat esse dispositos: neganda indispositis: differenda dubie dispositis; nisi urgeat necessitas absolvendi, quia tunc sub conditione istis tribuenda est (2).

---

merita beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.

Urgente autem periculo mortis breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

(1) Nota. Ad licite etiam absolvendum requiritur, ut Confessarius recordetur saltem status poenitentis, vel resumat notitiam ejus in confuso, aut sciat poenitentiam injunctam. Quare tunc non est opus repetere confessionem apud eundem Confessarium, si ipsa fuit nulla, aut absolutio fuit dilata; sed sufficit, ut poenitens suppleat defectum, et in communi se accuset de omnibus prius confessis. Lig. lib. VI. 502.

(2) Dispositi dicuntur, qui integram fecerunt peccatorum confessionem, et habuerunt verum dolorem, verum propositum, ac satisfaciendi voluntatem. Illi vero, quibus aliquid ex his deest, indispositi appellantur. Unde absolvendi non sunt: 1. qui nulla dant signa doloris, vel uti nolunt remediis necessariis ad emendationem: 2. qui, cum possint, rem alienam, vel famam laesam restituere recusant: 3. qui odium et inimicitias non deponunt: 4. qui publicum scandalum dantes illud tollere non curant: 5. qui occasionem proximam voluntariam deserere nolunt, ut ex Rit Rom: 6. ignorantes mysteria fidei necessaria necessitate medii ad salutem juxta prop. ab Innoc. XI. damnatam.

Dubie dispositis demum, puta occasionariis vel recidivis, absolutio

De ministro hujus sacramenti.

Q. *Quinam est minister sacramenti poenitentiae?*

R. Est sacerdos, qui habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam.

Q. *Adsunt casus, in quibus sacerdos non confessarius valide absolvit?*

R. Maxime: in articulo vel periculo mortis, aut quando adest titulus coloratus et error communis (1); quia in his ca-

differenda est usque dum appareat prudens signum emendationis. Et satis erit dilatio 8. 10. dierum, vel amplius relate ad eos, qui in occasione proxima externa peccati reperiuntur: semper tamen sufficit experientia mensis. Lig.

(1) Articulus mortis habetur quando mors probabiliter imminet; periculum quando probabiliter timetur, ut in bello, in partu difficili, in navigatione periculosa. Titulus coloratus habetur, quando adest titulus sufficiens ad audiendas confessiones, uti paroecia, Episcopi approbatio, sed iste fuit vel nulliter collatus vel amissus ob aliquem defectum, puta simoniam, etc. Error communis dicitur, quando aliquis sacerdos communiter creditur habere jurisdictionem, quam revera non habet.

Dictum est supra *quando adest titulus coloratus et error communis*, quia solus titulus coloratus juxta omnes non sufficit ad valide absolvendum, cum deficiat bona fides in poenitente. Utrum vero sufficiat solus error communis, quaestio est; ideoque non sunt obligandi fideles ad repetendas confessiones bona fide factas apud Sacerdotem, qui ex communi errore Confessarius reputabatur. Lig. VI. 572.

Praeter hos casus sacerdos non adprobatus nec etiam a solis venialibus valide absolvit. Imo adprobatus in una dioecesi nulliter absolvit in aliena dioecesi; excipe parochum, qui suos filianos valide ubique absolvit. Absolvere autem praesumentes a casibus spec. mo. R. P. reservatis sine debita facultate, et extra mortis articulum incidunt in excommunicationem Papae simpliciter reservatam. Cas. XVIII. in corpore Bul. *Ap. S.*

Hic adverte, quod confessio potest esse nulla vel ex parte confessarii, vel ex parte poenitentis. Ex parte confessarii, quando ei deest jurisdictio, vel quando non profert verba essentialia formae, vel quando deest intentio: ex parte poenitentis, quando deest unus ex tribus actibus poenitentis.

sibus Ecclesia supplet jurisdictionem ob bonum animarum.

Q. *Quotuplex est officium confessarii?*

R. Ministri, judicis, medici, et doctoris. Hinc in confessario requiritur probitas vitae, scientia conveniens, et multa prudentia (1).

De sigillo sacramentali.

Q. *Quid est sigillum sacramentale?*

R. Est strictissima obligatio reticendi omnia, quae audita sunt in confessione in ordine ad absolutionem, sive sint peccata, sive non (2).

Q. *Quo jure est servandum?*

R. De jure naturae; de jure divino positivo, uti constat ex Traditione; et de jure ecclesiastico, ex poenis (3).

---

(1) *Probitas vitae* consistit in statu gratiae, qui sub gravi requiritur in danda absolutione; et in exemplaritate, secus qua fronte alios mederi properat, qui in facie vulnus portat? *Scientia conveniens* sita est in eo, quod possit confessarius discernere casus obvios, et saltem dubitare de difficilioribus. *Prudentia* vero opus est in monitione, instructione, et interrogatione poenitentis ignorantis aut negligentis. Unde quando confessarius suspicatur de peccato poenitentis, debet illum monere: si vero ei certo constet peccatum fuisse commissum et non confessum, non potest illum absolvere. Excipe si sciat ex confessione alterius, quia tunc, salvo semper sacramentali sigillo, debet excogitare medium, ut poenitens peccatum confiteatur: et si hoc nullo modo obtineri possit, et videatur sigillum periclitari, debet illum absolvere, sed juxta aliquos sub conditione.

(2) Hinc non modo peccata; sed etiam eorum circumstantiae et obiecta; gravis poenitentia imposita; imperfectiones naturales, e. g. quod poenitens sit spurius, rudis, hebes mente, natura iracundus, etc. tentationes; scrupuli cadunt sub sigillo, si horum notitiam Confessarius acquisivit per confessionem, et ab aliis ignoretur. In dubio autem an aliquid in confessione auditum cadat sub sigillo, omnino affirmandum, quia possessio stat pro sigillo.

(3) Concilium Later. IV decernit poenam depositionis, et perpetuae poenitentiae in arcto monasterio peragendae contra confessarios violantes sigillum sacramentale praesumptuose.

In fractione hujus sigilli adest semper peccatum contra fidelitatem, contra justitiam, et contra religionem.

Q. *Potest in aliquo casu sacramentale sigillum aperiri?*

R. In nullo, nisi de expressa, et omnino libera licentia poenitentis. Imo nec etiam, extra confessionem, cum ipso poenitente potest confessarius, nisi de ejus licentia, loqui de peccatis in confessione auditis.

Q. *Peccata venialia cadunt sub sigillo?*

R. Venialia in specie cadunt: dicere autem, quod poenitens confessus sit venialitatem in genere, per se non est violatio sigilli.

Q. *Peccata publica cadunt sub sigillo?*

R. Si confessarius ista scit extra confessionem, non cadunt: sed prudenter agendum.

Q. *Potest confessarius uti scientia per confessionem acquisita?*

R. Si adest directa vel indirecta confessionis revelatio, aut gravamen aliquod poenitentis, non potest (1).

Q. *Quinam alii praeter confessarium tenentur ad hoc sigillum?*

R. Omnes, qui mediate vel immediate, licite vel illicite audierint dicta in ordine ad absolutionem.

Q. *Quotuplici modo potest violari sigillum?*

R. Directe, vel indirecte: directe, quando expresse aliquid manifestatur sub sigillo cadens: indirecte, quando verbis vel signis aliquo modo videtur dari cognitio peccati (2).

---

(1) Gravamen intelligitur quaecunque suspicio poenitentis Confessarium usum fuisse scientia in confessione acquisita. Hinc non licet monere parentes, ut invigilent filiae; nec amovere ob ordinatione clericum, aut ob officio subditum ob delictum in confessione auditum; etc.

(2) Quare Confessarius poenitenti roganti schedulam confessionis sic scribat: *Audivi confessionem N. N.* sive ipse sit absolutus, sive non: interrogatus an poenitentem absolverit, respondeat: *Functus sum officio meo*: an possit poenitenti Eucharistia ministrari, dicat: *Interroga ipsum an velit communicari*: demum an poenitens aliquod commiserit peccatum, vel an illud fuerit confessus, absolute dicat, etiam cum juramento, *se nihil scire*; aut melius objurgando: *Quaenam est ista interrogatio? Miror etc*: et poenitenti inabsoluto Communionem denegare non potest, etiam occulte petenti.

De reservatione casuum.

Q. *Quid est reservatio casuum?*

R. Est restrictio jurisdictionis in ordine ad aliquod peccatum, vel censuram (1).

Q. *Quaenam peccata solent reservari?*

R. Mortalia graviora, externa, et consummata seu completa.

Q. *Peccata dubia censentur reservata?*

R. Si sunt dubia facti, non sunt reservata (2): si vero dubia juris, quaestio (3); at probabilius nec etiam sunt reservata, nam reservatio est strictae interpretationis, et ideo ad casus certos restringenda.

Q. *Peregrinus committens in alia Dioecesi peccatum, cui adnexa est reservatio cum censura, inciditne in utramque?*

R. Incidit in reservationem tantum, si ibi velit illud

(1) Reservatio afficit directe confessarium, indirecte poenitentem. Hinc non potest confessarius absolvere a peccatis in sua dioecesi reservatis poenitentem, qui ista commisit, etiamsi in locis ubi non erant reservata. E contra potest confessarius absolvere poenitentem a peccatis reservatis in dioecesi poenitentis, quae non sunt reservata in dioecesi sua: dummodo poenitens non accesserit in fraudem; aut peccatum reservatum non habeat adnexam censuram ab homine per sententiam specialem, quia haec censura non potest absolvi, nisi a proprio Superiore, ne ordo perturbetur. Dixi *In fraudem* h. e. praecipue ut sui superioris effugiat judicium. Dixi *per sententiam specialem*; quia si censura de lege municipali est a jure, vel ab homine per sententiam generalem, potest absolvi, cum non sit in aliena dioecesi reservata. Vide Porp. in fol. tract. XVIII. n. 560.

(2) Peccatum potest esse dubium facti duplici sensu: aut quia poenitens dubitat, utrum peccaverit vel non; aut quia certus de peccato dubitat, utrum materia peccati fuerit reservata vel non. In primo casu, si post absolutionem recordatur se certo commisisse illud peccatum, debet denuo manifestare confessario habenti facultatem. In secundo casu non debet juxta Ligorium, quicquid dicant alii.

(3) Peccata dubia juris sunt illa, de quibus disputant DD. utrum sint riservata vel non. De his idem dicendum, quod dictum est de jurisdictione probabili.

confiteri; cum reservatio directe afficiat confessarium: non vero in censuram; quippe peregrinus fit subditus ratione peccati, non ratione censurae incurrendae. Lig. VI. 591.

Q. *Qui bona fide absolutus est a reservatis a confessario non habente facultatem in reservatis, debetne totam confessionem repetere alteri hanc facultatem habenti?*

R. Minime: sed illa peccata tantum, quae erant reservata, ut de his directe absolvatur.

Q. *Potest simplex confessarius absolvere poenitentem a non reservatis, illum remittendo superiori pro reservatis?*

R. Potest solum in casu magnae necessitatis, quando nempe adest periculum vitae, scandalum vel infamia non celebrando, aut non communicando; nec habetur facilis accessus ad habentem facultatem.

Q. *Peccata reservata inculpabiliter oblita in confessione facta confessario habenti facultatem in reservatis, remanent libera a reservatione?*

R. Quaestio: at si confessio facta sit ex privilegio in favorem poenitentis, prout in jubilaeo vel ex Bulla Cruciatae, cessat reservatio in casu. Lig. VI. 597.

Q. *Cessatne reservatio, quando confessio de reservatis facta habenti facultatem fuit invalida?*

R. Si fuit invalida sine culpa poenitentis, cessat reservatio; si ob culpam poenitentis, quaestio.

Q. *Facultas absolvendi a reservatis extenditur etiam ad commissa in confidentiam talis facultatis?*

R. Maxime: dummodo talis limitatio non habeatur, ut habetur in Bulla Cruciatae (1).

Q. *Facultas absolvendi a reservatis extenditur ad commissa post obtentam facultatem?*

R. Maxime: dummodo non fuerit data determinate, et definite pro peccatis narratis, vel per tot vices commissis.

Q. *Adsunt casus, in quibus simplex sacerdos potest absolvere a quocunque peccato et censura reservata?*

---

(1) Intervenit ejusmodi *confidentia*, quando poenitens inducitur ad peccandum eo quod talis adest facultas absolvendi, ita ut sine ipsa peccatum non committeret.

R. Maxime: in articulo vel periculo mortis; tunc enim nulla est reservatio (1).

Q. *Debet in hoc casu aliquid imponere poenitenti?*

R. Si poenitens habet peccata, quibus adnexa est censura speciali modo Pontifici reservata, debet imponere onus se praesentandi ad Superiorem, si convalescat, sub poena reincidendi in eandem censuram: secus, non (2).

---

(1) Intellige etiamsi sacerdos sit censuratus vitandus, haereticus, irregularis, degradatus, etc. *ne hac occasione aliquis pereat,* ut ait Trid. quando nempe approbatus deest juxta Rit. Rom. Excipe tamen 1. si moribundus ab approbato abhorreat; 2. si approbatus nolit, aut nequeat audire confessionem; aut 3. si post coeptam confessionem superveniat.

(2) Ratio est, quia in Constit. *Ap. Sedis* tantum pro his censuris dicitur: *Dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.* Ita de Varceno, Bertapelle, Gury cum adn. Ballerini, etc: necnon D'Annibali, qui, magni ponderis auctor, subjungit: *Num igitur, si forte adest is qui potest absolvere a reservatis, inferiores Sacerdotes ab his absolvere possint? Et quandoquidem omnis reservatio cessat in articulo mortis, reor posse; et nedum a censuris R. P. reservatis sive publicis sive occultis, quod nemo dubitat; sed et a reservatis ab Episcopo, eo praesente, quippe utrorumque eadem est ratio: quod nihilominus S. Alphonsus negat.* Vide p. 1. n. 309. Reate 1874.

Quare confessarius sub gravi ab infirmo exigere debet non modo promissionem satisfaciendi parti, si fuit laesa; sed etiam se praesentandi superiori in praedictis casibus. At ex Lig. si aliqua restitutio adesset, quae tunc impleri queat, imponendum est ut statim fiat; nec sufficit quod illius onus relinquatur haeredibus: alias non absolvatur infirmus.

Caeterum Confessarius in moribundi confessione, praesertim si urget necessitas, non debet tam exacte procedere circa numerum et circumstantias, sed meliori modo, quo potest, illum audiat, disponat, et absolvat; eique satisfactionem levissimam imponat cum onere repetendi confessionem, si convaluerit.

Vulnerati et puerperae, quae ordinarie nequeant ab assistentibus deseri, sufficit ut se accusent generice de suis peccatis, et in particulari de aliqua culpa levi, puta mendacio, impatientia, etc. cum proposito integre confitendi, si convalescant. Ex Praxi Conf. XXII. 47. Si

Q. *Quotuplicis generis sunt casus reservati?*

R. Alii sunt papales, alii episcopales. Casus papales cum censura sunt duplicis generis, nempe generales, et speciales. Casus generales sunt illi, qui possunt absolvi ab illis, qui habent facultatem generalem absolvendi casus pontificios; et tales sunt septendecim excommunicationes et septem suspensiones latae sent. ex bul. *Ap. S.* quibus adjungitur alia excom. in corpore bullae contra praesumentes absolvere sine debita facultate et quovis praetextu a casibus speciali modo Papae reserv. excepto tantum periculo mortis, et censurae Tridentini. Speciales sunt illi, qui indigent speciali facultate, ut absolvantur; hujusmodi sunt duodecim excom. et interdictum contra Universitates, Collegia et Capitula a Papa ad futurum concilium appellantia ex bulla *Ap. S.* nec non excommunicatio, suspensio, et interdictum bul. *Romanus Pontifex*, de qua in fine Sacr. Ordinis. Sine censura sunt: accusantes confessarium de falso crimine sollicitationis per se vel per alios (1); et accipientes ultra decem a persona religiosa per donationem gratuitam, et sine licentia superioris (2).

---

demum moribundus sit haereticus vel schismaticus, prius disponendus est ad abjurandam haeresim vel schisma, contrarios actus eliciendo.

(1) Hic casus hodie videtur R. P. *specialiter* reser; nam Pius IX. per Congr. S. I. 17 jun. 1866. decrevit, quod in facultatibus absolvendi ab omnibus casibus Papalibus *excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse* casus Ben. XIV. in bul. *Sacramentum Poeniten.* qui sunt casus Sacerdotis *attentantis absolutionem* complicis in peccato turpi, et casus personae *falso denuntiantis* Sacerdotem de sollicitatione.

(2) Episcopi ex cap. *Liceat* Trid. possunt in foro conscientiae per se vel per vicarium ad id specialiter deputandum absolvere suos subditos ab omnibus casibus et censuris occultis Papae reservatis, exceptis tantum iis, qui R. P. sunt reservati speciali modo, uti patet ex Constit. *Apost. Sedis*: et possunt dispensare in omnibus irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, nec deductis ad forum contentiosum: excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario. Et quoniam dicitur ex homicidio voluntario, sequitur quod,

Casus episcopales sunt etiam triplicis generis, nempe *Nobis*, *a Nobis*, et *sibi*. Casus *Nobis* sunt illi, qui a jure

---

si oriatur ex homicidio dubio vel mixte casuali occulto, etiam possunt.

Nomine subditorum quoad absolutionem casuum veniunt et dioecesani, et illi qui in hac dioecesi accedunt ad Poenitentiae Sacramentum, in quo fiunt subditi: quoad dispensationes tantum dioecesani, cum de aliis quaestio sit.

Delictum vero dicitur *occultum*, quando nescitur a magna parte oppidi, viciniae, etc. *deductum ad forum*, quando ibi est probatum saltem per unum testem. Si tamen reus se purgavit a crimine in judicio, etiam malis artibus, tunc poterit ab Episcopo absolvi tanquam de delicto occulto.

Insuper de jur. comm. possunt Episcopi suos subditos absolvere in utroque foro ab omnibus casibus papalibus, etiam publicis et spe.mo. reservatis sive a jure, sive ab homine, quando ex parte poenitentis adest impedimentum perpetuum eundi Romam.

Dicitur perpetuum, quando duraturum est per decennium, aut justa aliquos per quinquennium, uti est in pueris, infirmis longa et gravi aegritudine laborantibus, senibus sexagenariis, foeminis, et ceteris, qui sine gravi incommodo suo vel suorum, sive temporali sive spirituali Romam proficisci nequeunt. Nec ipsi probabilius et communiter tenentur per epistolam aut procuratorem adire S. Sedem.

At si hoc impedimentum sit diuturnum, nempe infra praedictum tempus duraturum, absolvere etiam possunt, sed cum onere se quantocius praesentandi Sedi Apostolicae sub poena reincidentiae.

Si vero sit ad breve tempus, h. e. infra sex menses, absolvere nequeunt, nisi indirecte tantum et in casu magnae necessitatis; scilicet absolvere possunt *a peccatis*, si urgeat necessitas celebrandi aut communicandi ad vitandum scandalum vel infamiam, etc. in suo statu manente censura, et cum obligatione se praesentandi ut directe absolvantur a Superiore.

Idem probabiliter potest quivis Confessarius, quando impediti nec etiam Episcopum adire possunt, in casibus et censuris tam a R. P. quam ab Episcopo reservatis. Adi Lig. VII. 85 ad 92.

Quibus autem facultatibus pollent Episcopi erga suos dioeçesanos, gaudent etiam Praelati Regulares erga suos subditos, uti constat ex variis pont. priv. At nunc nihil possunt dicti Praelati (et a fortiori confessarii regulares in suos poenitentes) circa absolutionem a casibus papalibus in Constit. *Apost. Sedis* tam *specialiter*, quam *simpliciter* reservatis, prout eruitur ex verbis laudatae Constitutionis, et

generali sunt reservati episcopis: hujusmodi sunt percussio publica levis clerici; procurantes abortum, effectu secuto; praesumentes contrahere matrimonium cum voto solemni, nec non cum istis contrahere praesumentes; et scienter utentes litteris apostolicis falsis, aut eorum cooperatores. Casus *a Nobis* sunt illi, quos episcopi solent

---

ex responsione S. P. sub die 5. Dec. 1873; *Salvis aliis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis.*

Quod ad acceptionem doni ultra X. scutorum romanorum a persona religiosa (exceptis rebus medicinalibus aut devotionis) advertendum, quod si is qui illud accepit, sit prorsus impotens ad restituendum, potest a quovis confessario absolvi promittendo cum juramento restitutionem, si postea potuerit. Insuper sciendum, quod facta restitutione ad monasterium, poenitens etiam potest absolvi a quovis confessario. Tandem notandum, quod accipientes infra X. statim ac donum pertingit ad materiam gravem, ideoque ad peccatum mortale, incidunt in casum Cardinali poenitentiario reservatum.

Adverte etiam, quod quilibet confessarius potest in *conscientiae foro* absolvere eos, qui gaudent privilegiis Bullae Cruciatae, *bis* (h. e. una vice in vita bullae, et altera in mortis articulo) ab omnibus casibus pontificiis, excepta tantum haeresi formali, et excommunicatione contracta a confessario absolvente complicem in VI. praec. Ita ex bul. 11. Jan. 1856: *salutari poenitentia semper imposita, aliisque injunctis, quae sunt de jure injungenda:* scilicet 1.° ut poenitens primitus satisfaciat parti laesae, quoties damnum fuerit illatum; quod si non possit, juret se, quamprimum poterit, satisfacturum; unde pro detentoribus, etc. bonorum Ecclesiae vide dicenda post tract. *de censuris in genere*: 2.° ut primum publice reparet scandalum, nisi aliud obstet, uti declaravit S. P. die 5. Jul. 1857: 3.° ut in crimine enormi v. g. scandalosa Ecclesiae violatione, gravi clericorum percussione, ante absolutionem juramentum exhibeat de tali crimine amplius non patrando.

Dixi tandem in conscientiae foro, quia ejusmodi absolutio non potest dari extra sacramentum poenitentiae, et minime prodest pro foro externo; hinc publicus Clerici percussor vi Bullae absolutus ad scandalum vitandum semper debet se Superiori praesentare; aliter nec ipse cum fidelibus, nec fideles cum ipso communicare possunt, uti patet ex responso S. P. 15. jun. 1786. ad quendam Confessarium Aversanum, et ex declaratione Card. Zurlo.

in synodis dioecesanis sibi reservare. Casus *Sibi* dicuntur illi, quos episcopi aliis non concedunt, nisi speciali facultate.

DE POENIS CANONICIS.

Q. *Quot sunt poenae canonicae?*

R. Multae, sed praecipuae sunt septem, nempe excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas, infamia, depositio, et degradatio.

Q. *Quaenam praecipua differentia inter has poenas intercedit?*

R. Haec: primae tres vocantur *censurae*, sunt poenae medicinales, et de sua natura infliguntur ad tempus: aliae sunt poenae vindicativae, et de sua natura sunt perpetuae.

Q. *An poenas incurrat, qui ante complementum delicti absolvitur, aut elicit actum perfectae contritionis vel charitatis?*

R. Quaestio. At melius sic distinguendum: vel loquimur de censuris, et probabilius non incurrit; nam tempore quo contrahenda est censura, neque culpa neque contumacia amplius extant in subjecto: vel loquimur de irregularitate, et verius incurrit; heic enim non agitur de sola causa morali, quae tollitur per poenitentiam, sed etiam de causa phisica, quae semel posita necessario pergit influere in actum (1).

De censuris in genere.

Q. *Quid est censura?*

R. Est poena spiritualis et medicinalis pro culpa inflicta, privans fidelem usu aliquorum bonorum spiritualium, per ecclesiasticam potestatem imposita, ut fidelis a contumacia desistat.

---

(1) Certum tamen est, quod post obtentam absolutionem non incurritur reservatio, quando peccatum completum est specialiter reservatum: si vero censura est specialiter reservata, tunc quaestio, ut supra.

Q. *Quotuplex potest esse censura?*

R. A jure, vel ab homine; latae, vel ferendae sententiae (1); reservata, vel non.

Q. *Quinam possunt ferre censuras?*

R. Superiores Ecclesiae, qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo ordinariam vel delegatam.

Q. *Potest superior ferre censuram in causa propria?*

R. Si est per modum defensionis, potest; si per modum judicii, non potest, quia simul esset actor et judex.

Q. *Superior existens extra suum territorium potest ferre censuras contra suos subditos?*

R. Quando non perturbat alienam jurisdictionem strepito judiciali, potest; secus non.

Q. *Quinam potest esse censurae subjectus?*

R. Baptizatus, subditus, rationis compos, delinquens, et contumax. Impuberes vero non incurrunt in censuras,

---

(1) Dicitur censura a jure, quae fertur per modum legis, ut est illa quae fertur in Synodo. Dicitur censura ab homine, quae ab aliquo superiore fertur per modum praecepti, vel per sententiam particularem, e. g. Si Episcopus Titio praecipiat, ne adeat domum Bertae meretricis sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae: vel si postquam probatum sit Titium commisisse incestum, illum excommunicat. Prima est perpetua, et durat usque dum lex abrogatur; secunda, mortuo superiore, vel jurisdictione privato, corruit, si non sit contracta: prima est semper generalis; secunda potest esse generalis, vel particularis, prout fertur indeterminate in delinquentes, vel determinate in aliquas personas.

Dicitur censura latae sententiae, quae ipso facto incurritur ante judicis sententiam. Dicitur ferendae sententiae, quae non ipso facto, sed post peccatum commissum per judicis sententiam infligi debet. Quando censura exprimitur per verba praeteriti vel praesentis indicativi, est latae sententiae; quando exprimitur per verba futuri, vel praesentis subjunctivi, regulariter loquendo, solet esse ferendae sententiae. Sed *anathema sit* Trid. est certo latae sent.

In dubio autem an Censura sit latae vel ferendae sent. censenda est ferendae, nam poenae sunt restringendae, et favores ampliandi.

Ad incurrendum in foro externo censuram latae sent. requiritur sententia declaratoria commissi, cui est censura alligata: in foro interno sufficit commissio criminis. Ita ex Ben. XIV. de syn. Dioec.

nisi exprimantur, ut exprimuntur in percussione clerici, et in violatione clausurae monialium: reges non incurrunt in excomm. nisi exprimantur: episcopi non incurrunt in suspensionem et interdictum, nisi exprimantur.

Q. *Incurrit censuram, qui delictum committit extra territorium ferentis?*

R. Si censura est ab homine per praeceptum particulare, aut delictum effectum habet in territorio ferentis, (puta quando quis longe abest a loco beneficii, ubi sub censura residere debet) incurrit: secus non incurrit (1).

Q. *Ligatus una censura potestne altera innodari?*

R. Maxime: quia multiplicatis causis, multiplicari debent et effectus.

Q. *Contra quaenam peccata ferri potest censura?*

R. Contra peccata gravia, externa, completa, et cum contumacia conjuncta (2).

---

(1) Idem dic si delictum commissum sit in loco exempto, ut probabiliter in Ecclesiis et monasteriis Regularium.

(2) Debet censura infligi 1. contra peccatum grave, quia censura est poena gravis, et per se culpa levis est incapax poenae gravis; ideo contra culpam levem potest infligi suspensio ad breve tempus ab aliquo officii usu tantum.

2. Contra peccatum externum, quia Ecclesia non judicat de internis judicio poenali.

3. Pro peccato completo, quia in poenis stricta interpretatio facienda est. Hinc si censura lata est contra delictum aliquod committentes, non includit mandantes vel consulentes, si non sunt expressi; et quando sunt expressi, tunc incidunt in censuram, quando completum est delictum, nisi aliter cautum sit in jure, uti cautum est contra provocantes, et acceptantes duellum, qui statim in censuram incurrunt, licet occisio postea non sequatur.

4. Contra contumaces, quia censura est poena medicinalis, et contumacia est inobedientia, quatenus nempe delinquens scit, nec tamen curat Ecclesiam prohibentem sub censura. Hinc ob peccatum omnino praeteritum, quod nullo modo perseverat, non potest infligi censura, quia non adest contumacia. Qui dedit mandatum vel consilium, et postea revocavit, etiamsi revocatio per accidens non innotuit mandatario vel consulto, non incurrit censuram; nam quando

Q. *Potestne quis ligari censura pro peccato alterius?*

R. Si sermo est de excommunicatione, nunquam: si sermo est de suspensione vel interdicto personali, nec etiam: si de suspensione vel interdicto generali potest, uti de jure.

Q. *Quibus ex causis censura potest esse nulla?*

R. Vel defectu jurisdictionis in ferente, vel formae substantialis, vel causae (1).

Q. *Quibus ex causis censura potest esse valida, sed illicita?*

R. Quando sine justa causa non fiunt omnes tres monitiones; vel quando non fertur sententia in scriptis; vel quando in ea non exprimitur nomen ferentis, et rei; vel quando in ea non exprimitur causa; vel quando non datur intra mensem exemplum scripturae reo petenti.

Q. *Quomodo tollitur censura?*

R. Absolutione, quae dari potest absolute vel conditionate, quoad ad omnes effectus vel quod ad aliquem effectum tantum: potest etiam dari quod ad reincidentiam (2).

---

postea evenit delictum, ipse non est contumax, et evenit contra suam voluntatem.

(1) Deficit jurisdictio in ferente vel quando eam omnino non habet; vel quando non habet in eum, contra quem fert censuram: vel quando habet jurisdictionem, sed impeditam, puta ob legitimam appellationem debito tempore interpositam.

Deficit causa, quando delictum non adest, nec in judicio probatur, vel quando adest, et non probatur; vel quando non adest, et probatur: in 1. casu censura est nulla; in 2. quaestio est; in 3. non ligat in conscientia, sed in foro externo servari debet propter scandalum.

Deficit forma substantialis, quando deest saltem una monitio. Excipe si censura sit a jure vel ab homine lata pro culpa futura, quia tunc non requiritur monitio, cum ipsa lex seu praeceptum monitionis locum teneat.

(2) Absolutio a censura (extra periculum mortis) potest dari a quocunque confessario in foro interno, si censura non est reservata: si vero est reservata, ab eo cui est reservata, vel ab ejus successore aut superiore aut delegato. Idem dic de censura inflicta per sententiam particularem, quae est reservata superiori, qui sententiam protulit. Adverte, quod superior potest absolvere etiam in foro externo reum,

*

Q. *Qui ligatus censura non sollicitat absolutionem, peccatne graviter?*

R. Maxime, quia voluntarie se privat magnis bonis spiritualibus.

Q. *Quaenam causae excusant a censura?*

R. Ignorantia, metus, impotentia, et consensus illius, in cujus favorem lata est censura.

MONITA

Pro impertienda absolutione usurpatoribus ac detentoribus bonorum ecclesiae.

Nota 1. — Usurpatores et detentores bonorum Ecclesiae juxta praesentem disciplinae ordinem in tres classes dividi possunt. Alii enim comprehenduntur sub excomm. latae sent. R. P. *specialiter* reservata, et sunt: tum usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes, puta monasteriorum, mensarum episcopalium, etc. (1): tum invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, loca aut jura Ecclesiae Rom; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes (2).

---

quamvis sit absens et invitus, licet absolutio illicite daretur invito. Forma vero pro absolvenda censura in foro externo habetur in Rituali Rom. In foro interno sufficit illa generalis: *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti in quantum possum, et tu indiges:* cum intentione manifestata poenitenti eum absolvendi ab illa speciali censura.

(1) Heic animadvertas velim sub nomine usurpantium *non comprehendi* fures, qui beneficiorum fructus beneficiariis furantur, ex dec. S. I. 9 Martii 1870.

(2) Adverte, quod *auxilium*, *consilium*, *favorem* actionibus prohibitis *praebentes*, et etiam *adhaerentes* tunc censuras incurrunt, quando intervenit formalis cooperatio et realis adhaesio, quae non consistit solum in intentione, sed in actione; procedente non ex ignoran-

Alii comprehenduntur sub excomm. latae sent. a Trid. Synodo R. P. *simpliciter* reservata, et sunt non solum praesumptuose usurpantes quaecunque ecclesiastica bona, etiam locorum piorum, quae in ministrorum ac pauperum necessitates converti debent, puta montium pietatis, nosocomiorum, confraternitatum laicalium, etc.: sed etiam eadem bona ab aliis usurpata praesumptuose sibi retinen-

---

tia aut timore, sed ex deliberata voluntate. Quare prae oculis habere juvat responsum S. P. 10 dec. 1860. et 1. dec. 1866. inter plura, quae refert Scavini lib. IV. videlicet:

An confessarii debent habere uti censuris innodatos tum eos qui suffragium pro Italiae unione sub uno rege, sive timore sive deceptione sive dolo sive ignorantia ducti, dedere; tum eos qui idem suffragium dederunt extra pontificiam Dictionem, vel suffragium dederunt negativum vel nullum et inefficax; tum eos qui propriam habitationem luminibus ornarunt, coccardas et vittas gestarunt, non coacti gravi timore, vel ob levitatem interfuerunt hymno *Te Deum*; tum denique mulieres et minores, qui petitiones (*indirizzi*) firmarunt, signa ac vexilla etc. elaborarunt?

R. Censuras ecclesiasticas juxta Literas apostolicas diei 26 martii 1860. incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni Ditionis pontificiae. Quare ad dignoscendum in foro conscientiae utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per confessarium uniuscujusque conscientia.

Quomodo sciscitanti, an oblatum deputati munus in nationali conventu excipi possit, respondendum sit?

R. Affirmative sub conditionibus: 1) ut deputati electi in emittendo juramento fidelitatis et obedientiae a lege praescripto adjiciant limitationem: salvis legibus divinis, et ecclesiasticis; *2) ut hujusmodi limitatio fiat expresse in recitatione formulae ipsius juramenti, audientibus saltem duobus testibus; 3) ut ipsi deputati electi animo comparati sint et declarent se nunquam legibus improbis et injustis favorem et suffragium esse laturos; imo hujusmodi leges, quatenus proponantur, esse notorie reprobaturos.*

Hodie tamen ex quo invasio Rom. Sedis consummata est, et juramentum exigitur sine ulla limitatione, res immutatae sunt; neque recta intentio suffragatur; nam bonum ex integro. Quin imo Pius IX die 18. jun. 1874 declaravit: *Convenire ad urnas ad votum dandum pro electione eorum qui sedeant deputati in legumlatorum conventu, minime potuerat esse ab Ipso probatum.*

tes. seu *in proprios usus convertentes*, quocunque titulo, quacunque arte, quocunque quaesito colore, puta donationis, emphyteusis, etc. Vide reliqua in nota de *furto*.

Alii demum comprehenduntur sub excom. nem. reserv. et sunt legitimi administratores alienantes, et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosae*: qui si aliquo modo etiam usurpent, uti dictum reperies in supradicta nota sub n. 5°, tunc in Trid. reservatam censuram incidunt. Quid vero hic veniat nomine alienationis, et quando sufficit consensus Episcopi, legesis pag. 113. cum subjecta nota.

Nota 2.—Sacra Poenitentiaria. 1. Jun. 1869. sequentibus responsis pro tempore Jubilaei paulo ante indicti, instructionem praebuit etiam illis, qui vi specialis privilegii facultatem habent absolvendi usurpatores ac detentores bonorum ecclesiae, sunt autem:

Q. *1. Se, in vigore delle facoltà contenute nelle Lettere Apostoliche degli 11 aprile, i Confessori approvati dagli Ordinarii possano assolvere coloro, che effettuarono l'invasione o ribellione dei dominii della S. Sede, i loro mandanti, aderenti e cooperatori, e coloro che promossero leggi inique, e prestarono mano alla esecuzione delle medesime?*

R. Affirmative, dummodo Poenitentes exhibeant verae resipiscentiae signa, scandalum reparaverint, aut saltem parati sint quam primum illud reparare, meliori modo quo poterunt, atque obedientiam S. Sedi ejusque mandatis desuper ferendis sincere promiserint. Verum publici officiales, quorum officium aliquam cooperationem actibus a S. Sede reprobatis importare, seu legibus divinis et ecclesiasticis adversari videatur, non absolvantur, nisi dimisso prius officio; et quatenus illud dimittere nequeant, ipsi Officiales consulant Loci Ordinarium, qui decernat, et provideat juxta Litteras S. Poenitentiariae diei 26. julii 1867, quibus quidem Litteris omnino standum est.

Q. *2. Se, e come possano dai Confessori assolversi quegli ecclesiastici, i quali firmarono o sottoscrissero indirizzi contro il temporale dominio della Santa Sede?*

R. Affirmative, facta prius, ac sufficienter publicata retractatione juxta Litteras S. Poenitentiariae diei 28 maji 1863.

Q. 3. *Se possono assolversi dai Confessori i violatori dell'immunità ecclesiastica personale, e locale, e della clausura?*

R. Affirmative, satisfacta parte laesa, ac reparata, meliori quo potest modo, injuria Ecclesiae facta.

Q. 4. *Se, e come possano assolversi coloro che acquistarono, e posseggono beni ecclesiastici immobili alienati dal Demanio?*

R. Poenitentes, qui detinent hujusmodi bona non esse absolvendos, nisi prius Loci Ordinario, aut aliis Viris Ecclesiasticis, ab ipso Ordinario pro sua prudentia per Dioecesim designandis, consignaverint syngrapham ab eis subscriptam seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam ac caute in Cancellaria Dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se, suosque haeredes et successores subjicere declarent:

1) Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi.

2) Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi.

3) Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.

4) Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum Personis, seu Locis Piis, ad quae de jure pertinent (1).

5) Monendi haeredes et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

Q. 5. *Se possano assolversi e sotto quali condizioni coloro, che acquistarono beni ecclesiastici immobili, e poi li vendettero ad altri; e che cooperarono a contratti sopra i medesimi beni?*

R. Affirmative, deposito lucro exinde injuste percepto

(1) Quoad vero adimplenda *pia onera bonis adnexa*, et *subveniendi ex fructibus* etc. potest haberi ratio, et computari illud, quod a gubernio jam solvitur personis et ecclesiis spoliatis. Ita S. P. 23. Maji 1873.

in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore Locorum Piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis.

Q. 6. *Se, e con quali ingiunzioni possano assolversi coloro, che acquistarono beni mobili ecclesiastici?*

R. Affirmative, imposita illis aliqua eleemosyna favore Locorum Piorum, ad quae dicta bona pertinebant, quatenus emerint pretio, quod judicio Ordinarii seu Confessarii fuerit minus juxto. At, si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles seu quae servando servari possint, aut de supellectilibus, et vasis sacris, imponatur Poenitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium ad hoc, ut super iisdem rebus provideat juxta Indultum ipsi Ordinario jam a S. Poenitentiaria concessum.

Q. 7. *Se, e come possano assolversi coloro, che presero in affitto beni ecclesiastici occupati, od alienati dal Demanio?*

R. Affirmative, imposita Poenitentibus obligatione quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium, ad hoc, ut super bonis conductis provideat juxta Indultum ipsi Ordinario jam pariter a S. Poenitentiaria concessum.

Q. 8. *Se, e come possano assolversi coloro, che presero in enfiteusi dal Governo beni ecclesiastici?*

R. Hujusmodi Poenitentes non esse absolvendos, nisi prius Ordinario Loci, seu aliis Viris ecclesiasticis, ut supra in dubio 4. ab Ordinario designandis syngrapham consignaverint, qua declarent se, suosque haeredes et successores subjicere sequentibus obligationibus seu conditionibus:

1) Conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi.

2) Non utendi quocunque privilegio, et lege sive lata, sive ferenda quoad canonis affrancationem.

3) Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiae ejusque mandatis subinde ferendis quoad eorumdem bonorum restitutionem.

4) Adimplendi pia onera, quae eisdem bonis sint adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.

5) Solvendi interim annuum Canonem, illumque augendi ad tramites justitiae , et juxta aestimationem peritorum timoratae conscientiae, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.

6) Monendi haeredes et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant ad quid teneantnr.

Q. *9. Se, e come possano assolversi coloro, che non solo presero dal Governo in enfiteusi beni ecclesiastici, ma ancor gli affrancarono ?*

R. Hujusmodi Poenitentibus providendum prout in superiori responso ad dubium sub N. 4.

Q. *10. Se , e come possano assolversi coloro , che hanno redento censi, dritti ecclesiastici di natura redimibili?*

R. Affirmative , dummodo prius in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad effectum illud conservandi favore Locorum Piorum, ad quae census, seu jura redempta pertinebant.

Q. *11. Se , e come possano assolversi coloro che affrancarono canoni, livelli , prestazioni , od altri dritti ecclesiastici di natura non redimibili?*

R. Posse absolvi , dummodo prius , prout in responso ad dubium sub numero 4. syngrapham consignaverint, qua declarent se , suosque successores subjicere sequentibus obligationibus, et conditionibus:

1) Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi.

2) Conservandi eosdem fundos, et rem utilem in eis gerèndi.

3) Servandi indemnia quocunque tempore Loca Pia super integra perceptione canonis, livelli, et praestationis, ac super quibusvis aliis juribus , quae ad ipsa Loca Pia exinde spectabant; nec non adimplendi prout de jure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.

4) Monendi haeredes et successores per syngrapham sub-

scriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

De Excommunicatione.

Q. *Quid est excommunicatio ?*

R. Est censura ecclesiastica, per quam fidelis separatur a communione Ecclesiae. Olim dividebatur in majorem, et minorem; sed nunc in Constit. *Apost. Sedis* de minori nulla fit mentio (1).

Q. *Quotuplicis generis sunt excommunicati?*

R. Alii vitandi, alii tolerati. Vitandi dicuntur notorii Clericorum percussores, et *qui nominatim fuerunt per sententiam declarati, aut denuntiati* : ceteri vero sunt tolerati (2).

Q. *Quinam sunt effectus excommunicationis?*

R. Effectus directi sunt: 1. privatio activa et passiva

(1) In jure autem excommunicatio minor est *censura ecclesiastica, qua fidelis privatur secundum quid communione fidelium*. Ejus effectus directus est non posse sub gravi recipi sacramenta: indirecti sunt non posse, saltem sub levi, sacramenta ministrari sine necessitate: et collationem beneficii hac censura irretito factam posse irritari. Ab ea in foro externo absolvere potest episcopus, in interno quilibet confessarius.

(2) Ratio est, quod in praesenti disciplinae ordine inducto ex Constit. Martini V. vitandi sunt notorii clericorum percussores; et sive illi, qui sine praeexistente sanctione latae sententiae prima vice nominatim excommunicantur; sive illi, qui jam ex praeexistente sanctione latae sententiae excommunicati, nominatim denuntientur. Unde sanctiones, quae respiciunt excommunicatos vitandos, sive in his reperiantur verba *excommunicati nominatim*, sive *denuntiati nominatim*, quoad legis effectus in idem recidunt: quod usus confirmat. Avanzini in nota ad c. XVII.

At hodie per Const. *Ap. Sedis* sublata excom. minori, sub culpa tantum omnes istos vitare tenentur fideles. Excipe tantum nominatim excommunicatum a Pont. quem fideles etiam sub censura vitare tenentur in crimine criminoso; et nominatim excommunicatum tam a Pont. quam ab Ordinario pro Clericis, qui sub censura quoque cum eo communicare prohibentur in divinis, ut infra dicetur.

sacramentorum; 2. privatio communium ecclesiae suffragiorum; 3. privatio divinorum officiorum; 4. privatio jurisdictionis spiritualis; 5. privatio sepulturae ecclesiasticae; 6. privatio communionis cum fidelibus; 7. inhabilitas ad beneficia; 8. nullitas gratiarum a S. Sede in statu excommunicationis obtentarum. Effectus indirecti sunt: 1. si violatur excommunicatio per actum ordinis majoris, incurritur irregularitas; 2. excommunicatus, si per annum insurdescit (h. e. contumaciter persistit) in excommunicatione, potest contra eum procedi tamquam in suspectum de haeresi.

Q. *Excommunicatus validene conficit et ministrat Sacramenta?*

R. Maxime: excepto sacramento Poenitentiae pro excommunicato vitando, dummodo non sit casus gravis necessitatis, aut nisi error communis cum titulo colorato suppleat jurisdictionem.

Q. *An etiam licite, et utrum incidat in aliquam poenam?*

R. Toleratus licite potest Sacramenta conficere ac ministrare, si sit petitus, et se disponat per contritionem. Vitandus non potest: excipe si non administrans grave incommodum passurus sit, puta jacturam famae vel bonorum; aut adsit necessitas subveniendi proximo. Uterque vero illicite ministrans per exercitium ordinis majoris incidit in irregularitatem.

Q. *Excommunicatus recipitne valide et licite Sacramenta?*

R. Tam vitandus, quam toleratus valide recipit sacramenta, excepta poenitentia extra necessitatem; sed illicite, modo non sit in necessitate. Quod si recipit vero Sacramentum ordinis, non habet ejus exercitium, donec censura tollatur.

Q. *Qui recipit sacramenta ab excommunicato peccatne, et incidit in poenam?*

R. Qui recipit a tolerato, non peccat; a vitando sine necessitate, peccat tantum. Qui vero sine necessitate recipit Baptismum ab haeretico sic declarato, incidit in irregularitatem. At qui recipit sacramentum Ordinis ab epi-

scopo excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio, distinguo: si scienter, incidit in suspensionem Pontifici reservatam; si bona fide, non habet exercitium ordinis, donec dispensetur, scilicet nemini reservatum. Cas. IV. C. *Ap. S.*

Q. *Qui ministrat Sacramenta excommunicato peccatne, et incidit in aliquam poenam?*

R. Si scienter ministrat vitando declarato ab Ordinario extra casum necessitatis extremae, peccat graviter, et incidit in interdictum ab ingressu Ecclesiae ad arbitrium ejus. Cas. II. Si tolerato occulte petenti, peccat tantum; tolerato publice petenti, non peccat, cum fiat ad vitandum scandalum (1).

Q. *Excommunicatus privaturne ecclesiae suffragiis?*

R. Suffragiis privatis nemo privatur; suffragiis communibus privatur vitandus: utrum vero possint haec tolerato applicari, quaestio (2).

Q. *Potestne excommunicatus celebrare divina officia* (3), *vel eis assistere?*

R. Vitandus sub gravi nec celebrare, nec assistere unquam potest divinis officiis; potest tamen concionem audire et in ecclesia orare, quando divina officia non cele-

---

(1) Intellige tamen quando publice non constat illum esse taliter excommunicatum; secus etiam publice petenti sunt Sacramenta neganda, ne scandalum detur ministrando publice indigno. In dubio autem an excommunicatus sit absolutus, non sunt ei neganda Sacramenta si petat, praesertim quando asserit fuisse absolutum; nemo enim delinquere praesumitur, nisi gravia sint indicia contraria.

(2) Suffragium est quodcunque bonum spirituale applicatum proximo, ut preces, orationes, satisfactiones. Si applicatur ab ecclesiae ministris nomine ecclesiae, dicitur commune; si private a persona particulari, dicitur privatum.

(3) Divina officia sunt omnes sacrae functiones, quae fiunt a ministris ecclesiae; uti e. g. Missa, publicae processiones, horae solemniter decantatae, solemnis benedictio, benedictio candelarum, etc.

brantur (1). Toleratus si est requisitus, et se disponit, potest: secus non.

Q. *Excommunicatus facitne valide et licite, quae sunt jurisdictionis?*

R. Vitandus invalide, et illicite. Toleratus valide; et si est petitus, etiam licite, quia non privatur jurisdictione.

Q. *Excommunicatus potest communicare cum fidelibus?*

R. Vitandus non potest extra casum necessitatis. Toleratus in civilibus potest; in divinis non, nisi sit requisitus. Ex S. P. 5. jul. 1867.

Q. *Possuntne fideles communicare cum excommunicato?*

R. Cum tolerato possunt, nisi adsit scandalum vel periculum: cum vitando non possunt, et peccant graviter, si communicant in divinis (h. e. in administratione et receptione Sacramentorum, aliisque divinis officiis); leviter, si in civilibus.

Q. *Adsuntne casus, in quibus fideles communicantes cum vitando incidunt in excommunicationem Papae reservatam?*

R. Maxime, et sunt: 1.° Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem (2). 2.° Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Rom. Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes. Cas. XVI. XVII. C. *Ap. S.* (3).

---

(1) Vitandus, si dum celebrantur divina officia, monitus non vult exire ab ecclesia, peccat, sed in nullam poenam incidit. Fideles debent ab eo decedere. Sacerdos, si missam celebret, debet ab altari recedere, si nondum incepit canonem: secus, peracta sumptione, reliqua in sacristia perficere debet. Aliter peccant graviter.

(2) Communicare in crimine criminoso, seu *damnato*, idem est ac cooperari crimini vel contumaciae, ob quam alter excommunicatus est: e. g. si quis suam concubinam ob tale crimen excommunicatam iterum cognoscat; vel si quis post excommunicationem latam in aliquem ob furtum, concubinatum, etc. impendat ei auxilium aut consilium ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione.

(3) Nota, quod juxta interpretes citatae Constitutionis Clerici tam saeculares, quam regulares si scienter et sponte recipiant in divinis

Q. *In quibus prohibentur fideles communicare cum vitando?*

R. In his: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*; scilicet confabulatio, oratio, salutatio, omnis societas, et communicatio in cibo vel potu.

Q. *Adsuntne casus, in quibus est licitum communicare cum vitando?*

R. Maxime, et sunt: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*: nimirum magna utilitas spiritualis vel temporalis; lex matrimonialis; subjectio filii, servi, vel subditi; ignorantia; et necessitas.

Q. *Excommunicatus potestne sepeliri in loco sacro?*

R. Toleratus, si dedit signa poenitentiae, potest; vitandus non potest; et clerici qui eum sic ab Ordinario declaratum ad ecclesiasticam sepulturam scienter admittunt, incidunt in interdictum ab ingressu ecclesiae Cas. II: locus sacer remanet pollutus: cadaver, si secerni potest, debet exhumari. Excipe tamen nisi decessisset cum signis poenitentiae, quo in casu prius est de necessitate absolvendus, si pro eo veniam petant haeredes (1).

Q. *Collatio beneficii facta ab excommunicato estne valida?*

R. Si facta est a vitando, est nulla; si a tolerato, est valida; iste enim non privatur jurisdictione.

Q. *Validane est collatio beneficii facta excommunicato?*

R. Sive facta sit vitando, sive tolerato semper est nulla; quippe qui prorsus inhabilis ad obtinenda ecclesiastica

officiis nominatim excommunicatos a Rom. Pontifice, incidunt in excomm. Papae reser. ut supra: si vero scienter admittant ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos ab aliis Ordinariis, erunt tantum interdicti ab ingressu Ecclesiae ad arbitrium eorum, ut in Cas. II. qui sic intelligendus est, quoties citatur in hoc libello. Articuli autem cum sint paralleli, ad invicem sunt declarandi, et, si opus sit, ad invicem supplendi. Avanzini not. 57.

(1) Nota quod mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios (vel apostatas a fide notorios) aut nominatim excommunicatos vel interdictos, incidunt in excomm. nemini reserv. Cas. I. *Ap. S.*

beneficia. Excipe nisi collatio fiat a Superiore cum absolutione *ad cautelam*, uti dari solet ad solum effectum evadendi actus nullitatem.

Idem quoque dicendum de gratiis a S. Sede ab excommunicato obtentis, de dignitatibus, officiis ac pensionibus ecclesiasticis.

De excommunicatione ob clerici percussionem.

Q. *Quid et quotuplex Clericorum percussio?*

R. Est violenta manuum injectio in Clericum vel Monachum (1); et triplex distinguitur, *levis* nempe, *gravis*, et *enormis*. *Levis*, si nullum imprimit sui vestigium: *gravis*, si signum relinquit: *enormis*, si adest mutilatio vel grave vulnus (2).

---

(1) Violentas manus injicere intelligitur, quoties in personam, non verbis, sed re fit injuria; idest quoties laeditur corpus, libertas, dignitas. *Corpus*, nempe Clericum percutiendo, mutilando, etc. vel ei venenum praebendo; at cum venenum laedere incipit, tunc contrahitur excomm. *Libertas*, ipsum videlicet carcerando, vel detinendo in loco, a quo sine vi aut dedecore exire nequit. *Dignitas*, puta illum hostiliter insequendo; ab eo per vim crumenam, pileum, pallium, etc. eripiendo; ipsum sputo, pulvere, luto foedando; vestem, qua ipse indutus est, lacerando; etc. D'Annibali in Const. *Ap. S.*

Nomine Clericorum heic veniunt omnes prima tonsura insigniti, licet excommunicati, suspensi, vel interdicti, modo habitum deferant et alicui Ecclesiae inserviant. Nomine autem Monachorum intelliguntur Religiosi utriusque sexus; Novitii; Conversi; Tertiarii in communitate viventes; et etiam Eremitae, qui sub certa regula et Episcopi obedientia alicujus loci sacri servitio sunt addicti.

(2) 1.ª Fit pugno, palma, pede, etc. sine carnis contusione, aut sanguinis effusione; et dicitur levis non ratione culpae, quae semper debet esse gravis, cum adnexam habeat excom. majorem, sed relate ad gravem et enormem. 2.ª fit cum dentium aut magna capillorum evulsione, cum sufficienti sanguinis effusione aut carnis contusione, sed absque gravi laesione vel injuria. 3.ª fit cum magna vulneratione, vel magna sanguinis effusione (aliunde quam e naribus), vel cum magna injuria. Lig.

Heic vero notandum, quod saepe percussio levis evadat gravis vel

Q. *In quam poenam incidunt istiusmodi percussores?*

R. Si laedunt Cardinales, Episcopos, aliosque Ecclesiae Proceres prout in Cas. V. Const. *Ap. Sedis*, incidunt in excom. *specialiter* R. P. reserv.; sicut etiam mandantes, ratum habentes (1), et auxilium, consilium, favorem praestantes. Si vero laedunt alios inferiores ecclesiasticos, in excom. P. *simpliciter* reservatam. Cas. II. At an hic comprehendantur etiam mandantes, etc. quaestio est: probabilius tamen negatur, quia in hoc non exprimuntur sicut in illo casu. V. Compend. Scavini.

Q. *Suntne vitandi, an tolerati?*

R. Si crimen est notorium notarietate juris et facti, sunt vitandi sub culpa tantum (2): secus sunt tolerati.

Q. *Quinam potest ab hac excommunicatione absolvere?*

R. Si est occulta, semper potest episcopus, (excepta illa reservata spec. mo.) ex cap. *Liceat* Trid. Si est notoria, sed levis, etiam episcopus. Si est gravis vel enormis, Summus Pontifex. Potest adhuc episcopus absolvere ostii custodem, qui ex officio clericum repellens eum graviter percusserit, et clericos in communi viventes, qui mutuo sese percusserunt; ac potest etiam praelatus regularis ab-

---

enormis ratione circumstantiarum, nimirum personae laesae, personae laedentis, personae coram qua percussio fit, ratione scandali, loci, temporis, injuriae, etc. At in dubio percussio judicatur gravis, ne praebeatur occasio laedendi statum ecclesiasticum.

(1) Ut ratam habens percussionem incidat in censuram, requiritur: 1. ut percussio facta sit nomine sui, vel in sui gratia: 2. ut ratihabitio sit exterius manifestata: 3. ut tempore percussionis potuerit illam mandare vel consulere, saltem habitualiter, uti est ebrius vel dormiens, non vero amens.

(2) Nam ex Const. Martini V. *Ad evitanda* 1418. Clericorum percussores, modo *factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari*, erant vitandi sub culpa, et poena excom. minoris. Atqui hodie haec excom. minor sublata est per Const. *Ap S.* Restat igitur ut, qui cum his communicant, peccent tantum et non incidant in poenam.

Quando vero delictum dicitur notorium, seu publicum etc. vide in notis *de detractione*.

solvere religiosum, qui percussit alium religiosum ejusdem monasterii. Insuper potest etiam episcopus absolvere in pubblica enormi eos, qui legitime sunt impediti adire Romam, ex jure comm.

Q. *Adsunt casus, in quibus clericum percutiens non incidit in excommunicationem?*

R. Maxime: 1. si quis percutit cum moderamine inculpatae tutelae, aut ad propriam pudicitiam defendendam; 2. vel ignorat esse clericum; 3. vel ipso facto percutit clericum turpiter agentem cum matre, sorore, filia, uxore; 4. vel percutit clericum jocose, causaliter, ob subitam iram; 5. vel causa correctionis, uti praelatus, magister, pater, aliique propinqui superiores, sed moderate; 6. vel denique percutit illum, qui amisit privilegium canonis, uti esset realiter degradatus, conjugatus si habitum et tonsuram clericalem non deferat. etc.

De suspensione.

Q. *Quid est suspensio?*

R. Est censura ecclesiastica, per quam clericus privatur usu officii, aut beneficii, aut utriusque simul (1). Hinc potest esse totalis, si ab officio et beneficio; partialis, si ab alterutro. Potest etiam esse perpetua, et temporalis; a jure, vel ab homine; latae, vel ferendae sententiae.

Q. *Actus eliciti a suspenso suntne validi?*

R. Si sunt actus ordinis, semper sunt validi; suspensio enim characterem non tollit: excipe si suspensus vitandus absolvat, cum absolutio etiam a jurisdictione pendeat. Si vero sint actus jurisdictionis, distinguo: si sunt eliciti a suspenso vitando, nempe ab eo, qui per sententiam par-

(1) Nomine *officii* intelligitur omnis potestas spiritualis sive ordinis, sive jurisdictionis, sive administrationis ecclesiasticae. Nomine vero *beneficii* heic venit jus percipiendi fructus ejus, illudque administrandi. Quare suspensiones partiales bene subdividuntur in alias, uti sunt *ab ordine, a jurisdictione, ab audiendis confessionibus*, etc.

ticularem talis est denuntiatus, sunt nulli ; si vero cliciti sunt a tolerato, sunt validi, quia iste non privatur jurisdictione, sed tantum prohibetur illam exercere.

Q. *Qui violat suspensionem, inciditne in aliquam poenam?*

R. Si violat per exercitium ordinis majoris, peccat graviter , et incidit in irregularitatem ; excipe , si toleratus sit petitus, et se disponat: si per exercitium jurisdictionis, peccat tantum; excipe, si toleratus sit petitus (1).

Q. *Qui a suspenso petit exercitium illius officii , a quo est suspensus, peccat?*

R. Si a tolerato. non peccat: si a vitando peccat, sed in nullam poenam incidit; quia nulla extat in jure (2).

De interdicto.

Q. *Quid est interdictum?*

R. Est censura ecclesiastica, qua prohibentur omnia divina officia, usus quorundam sacramentorum, et ecclesiastica sepultura. Potest esse *personale* , *locale* , et *mixtum*.

---

(1) Nota, quod suspensio potest esse etiam simplex poena, quoties ei desunt censurae solemnitates, puta, si fertur ob delictum omnino praeteritum, vel causa non expressa, vel monitione non praemissa. At si Superior ore tenus clericum suspendit e. g. a celebratione, hoc non videtur esse censura, sed simplex prohibitio ; cum censura sub gravi ferenda sit in scriptis. Excipe si ore tenus lata sit per modum praecepti, quia tunc instar legis est: ut puta si Episcopus jusserit Cajo, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, intra praefinitum tempus e. g. famulam dimittere, aut vetuerit theatra, cauponas adire. Ex S. C. Epp. 2. Mart. 1866. V. etiam Lig. VII.61.

An vero sit censura suspensio, quam ex Trid. Episcopi infligunt *ex informata conscientia*, idest ex causis sibi notis, et ideo extrajudicialiter nec ulla praemissa monitione, quaestio est. Sed eam violantes per exercitium Ordinis majoris irregulares fiunt ex S. C. C. in Sagonen. 21. Jun. 1625.

(2) Suspensus vero extra territorium Superioris exercens actum prohibitum peccat, si suspensio est censura ; cum ea contracta immediate afficiat personam: secus , si est mera poena ; eo quod simplices poenae vim non habent extra territorium ferentis.

prout afficit personam, locum, vel utrumque. Potest etiam esse *generale* et *speciale*: primum, quando afficit generalitatem, puta totam civitatem; secundum, quando afficit unum locum, puta unam ecclesiam, aut aliquam personam (1).

Q. *Officia divina possuntne celebrari tempore interdicti generalis?*

R. Possunt, sed januis clausis, submissa voce, sine sonitu, et exclusis personis, quae causam dederunt interdicto, quia istae sunt specialiter interdictae (2). In loco autem specialiter interdicto potest tantum semel in hebdomada missa celebrari ad eucharistiam renovandam pro infirmis.

Q. *Quaenam sacramenta possunt administrari tempore interdicti?*

R. Baptismus, poenitentia, matrimonium sine solemnitate, eucharistia in mortis periculo, et confirmatio: verum ista sacramenta administrari non possunt personae specialiter interdictae, neque in loco specialiter interdicto (3).

---

(1) En discrimen inter excommunicationem, suspensionem, et interdictum: prima infligi potest contra laicos, et clericos; secunda infligi potest contra clericos tantum, et privat usu officii vel beneficii; tertia infligi potest contra personas, et contra loca.

Insuper excommunicatio semper est censura: aliae duae possunt esse etiam simplices poenae, prout jam dictum est de suspensione, et tunc istas violantes peccant contra praeceptum superioris, sed Ordinem exércendo non fiunt irregulares, nisi aliud in jure canonico cautum sit nominatim.

(2) Interdictum generale locale suspenditur in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis, et Conceptionis B. V. et in Octava corporis Domini.

(3) Nota quod ex jure, interdicta civitate, sunt interdicta suburbia et Ecclesiae exemptae Regularium; non viceversa. Interdicta Ecclesia, sunt interdictae etiam capellae et coemeterium contiguum; non viceversa. Interdicto populo, non est interdictus Clerus nec extranei; et viceversa: sic etiam de Religiosis. Demum interdicta communitate, omnes interdicuntur quamdiu sunt communitatis pars.

*

Q. *In quam poenam incurrunt violatores interdicti?*

R. Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis ab ecclesiastica auctoritate interdictis, aut sic declaratis, incidunt in interdictum ab ingressu ecclesiae ad arbitrium ejus, qui interdictum posuit. Cas. II. Clerici et Religiosi violantes interdictum per exercitium ordinis sacri incidunt in irregularitatem (1). Mandantes vero, seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae nominatim interdictos excommunicationem nemini reservatam incurrunt. Cas. I. Const. *Ap. S.*

Q. *Quid est interdictum ab ingressu ecclesiae?*

R. Est censura ecclesiastica, qua quis privatur exercitio ordinis sacri in ecclesia, et adsistentia divinis officiis, et sepultura ecclesiastica (2).

De irregularitatibus.

Q. *Quid est irregularitas?*

R. Est impedimentum canonicum ad ordines suscipiendos, susceptosque exercendos (3).

---

(1) Triplici modo violari potest interdictum per exercitium ordinis majoris: 1. si interdictus ordinem sacrum exercet: 2. si non interdictus in loco interdicto Sacramenta ministrat: 3. si non interdictus in loco non interdicto personae interdictae administrat Sacramenta prohibita. In tertio casu non incurritur irregularitas.

(2) Hinc licite potest taliter interdictus celebrare in oratorio privato, et in ecclesia privatim orare, ac Sacramenta recipere. Scavini.

Violantes tale interdictum per exercitium ordinis sacri incidunt in irregularitatem. Adverte, quod praeter interdictum locale adest etiam *cessatio a divinis*, quae non est censura, sed simplex prohibitio clericis imposita, ut sub gravi se abstineant a divinis officiis in aliquo loco, et ab administratione sacramentorum ob gravem injuriam ecclesiae, vel divino cultui illatam. Eosdem fere effectus habet, quos interdictum: ejus violatores tamen non fiunt irregulares.

(3) Hinc irregularis potest jurisdictionem exercere, quia ista non privatur. Utrum vero collatio beneficii facta irregulari sit valida, licet alii aliud sentiant, dicendum, quod sit valida, sed potest irritari.

Adverte, quod irregularitas non potest imponi, nisi a jure commu-

Q. *Quotuplicis generis sunt irregularitates?*

R. Aliae sunt ex delicto, aliae ex defectu (1).

Q. *Ex quibus delictis oritur irregularitas?*

R. 1. Ex homicidio; 2. ex mutilatione; 3. ex iteratione, vel mala receptione baptismatis; 4. ex indebita ordinum susceptione vel usu; 5. ex violatione censurae; 6. ex haeresi; 7. denique ex infamia.

Q. *Ex quonam homicidio oritur irregularitas?*

R. Ex homicidio voluntario, ex homicidio mixte casuali, et ex homicidio dubio (2). In hanc irregularitatem incidunt etiam mandantes, consulentes, cooperantes (3).

Q. *Ex quanam mutilatione oritur irregularitas?*

R. Ex mutilatione proprie dicta, injusta, et voluntaria, etiamsi membrum, quod obtruncatur, sit exsiccatum (4).

Q. *Quinam sunt irregulares ex iteratione baptismatis?*

R. Adultus scienter rebaptizatus, rebaptizans, et acolythus seu clericus ministrans (5). Insuper qui sciens et extra

---

ni. Quando vero dubitatur, utrum in jure sit expressa, admittenda est, dummodo tamen communis sensus DD., et ecclesiae consuetudo eam admittat.

(1) Primae contrahuntur ob peccatum grave, externum (licet occultum), et consummatum. Secundae sine peccato, utpote merae inhabilitates. Ambae vero possunt esse totales vel partiales, temporales vel perpetuae. Temporales, cessante impedimento, cessant ex se. Perpetuae indigent dispensatione.

(2) Intellige de homicidio, quod certe commissum sit, sed dubitatur a quonam praecise commissum sit.

(3) Non vero ratum habens homicidium suo nomine patratum: nec qui infirmo debita diligentia dat cibum, medicinam, etc. vel eum movet ad levamen, etc. ex quo praeter intentionem mors sequitur aut accelerat; nam ex regula generali nemo fit irregularis, nisi homicidii graviter culpabilis sit reus. At ex DD. in homicidio casuali vel cum moderamine inculpatae tutelae petenda est dispensatio Episcopi ad cautelam.

(4) Qui obtruncat partem membri, puta digitum, non est irregularis. Si tamen sibi ipsi hoc faciat, est irregularis, non ratione mutilationis, sed saevitiae.

(5) Haec irregularitas pro acolytho et rebaptizante est *partialis*, quatenus ipsi non possunt ad alios ordines promoveri, sed possunt in

necessitatem recipit baptismum ab haeretico declarato, vel differt baptismum usque ad mortis periculum, est etiam irregularis ex mala baptismi receptione.

Q. *Quinam sunt irregulares ex illicita ordinum susceptione, vel usu?*

R. Qui post matrimonium, etsi non consummatum, sine venia uxoris sacros ordines recipiunt; qui furtive ordinantur (1), sed tantum quoad ascensum ad alios ordines; qui absque dispensatione eodem die plures ordines recipiunt, quorum unus saltem est sacer; et clericus serio, scienter, ac solemniter (2) ministrans in ordine sacro, quem non habet (3).

---

susceptis ministrare; pro rebaptizato est *totalis*. At ad eam incurrendam requiritur: 1. pro acolytho, ut rebaptizatio sit publica; quod nonnulli extendunt etiam ad rebaptizantem et rebaptizatum: 2. ut adsit culpa gravis; hinc non contrahitur ista, quando justa de causa secundum baptisma ministratur sub conditione: si vero absque justa causa, quaestio est. Et nota quod, ut publica sit rebaptizatio, etiam primum baptismum debet esse publicum; nam si publice ignoratur primum baptismum, quomodo publice cognoscetur alterum esse secundum?

(1) Nimirum qui recipiunt Ordinem sine approbatione Episcopi, seu eo inscio, Ordinandis se dolo immiscent. Qui vero fraude utuntur ad dissimulandum defectus, quos habent; vel, confictis ex industria litteris dimissorialibus, Episcopum decipiunt, non censentur furtive ordinati, etsi gravissime peccent. Scavini.

(2) *Solemniter* intellige non cum apparatu, sed eo modo, quo vi ordinis et juxta canonicam disciplinam fit ab ipsis Ordinatis. Unde si clericus Epistolam sine manipulo, aut Evangelium caneret sine stola, non fieret irregularis.

(3) Nota. Qui censura ligatus, vel ante legitimam aetatem, vel extra tempora ordinem recipit, in nullam poenam incidit; nam iste ex D. Lig. probabilius incurrebat suspensionem, quae post Constit. *Apost. Sedis* non amplius viget. At in primis duobus capitibus adest tantum ipso jure inhabilitas ad exercitium ordinis, donec cesset impedimentum. Qui vero per saltum; aut ab episcopo non proprio; vel a proprio, sed suspenso, haeretico, etc. ordinatur, incidit in suspensionem, uti videre est in appendice de Sacram. Ordinis, et in tract. de censuris. Sacerdos tamen pluries celebrans eadem die fit irregularis, uti ex S. C. C. 16. nov. 1686. et 11. jan. 1711.

Q. *Quinam sunt irregulares ex violatione censurae?*

R. Qui ligatus censura (seu excommunicatione, vel suspensione ab ordine, vel interdicto) scienter et solemniter exercet actum ordinis majoris cum culpa mortali: et qui in loco interdicto celebrat sine conditionibus requisitis.

Q. *Quinam sunt irregulares ex haeresi?*

R. Haeretici formales externi, licet occulti; apostatae a fide; schismatici; et eorum fautores, receptatores, ac defensores.

Q. *Quinam sunt irregulares ex delicto ratione infamiae?*

R. Illi qui committunt aliquod crimen afferens infamiam sive juris, sive facti (1), modo crimen sit notorium.

Q. *Quinam potest dispensare in irregularitatibus ex delicto?*

R. Si est delictum publicum, Summus Pontifex; si est occultum, episcopus: excipe homicidium voluntarium, in quo semper Summus Pontifex dispensare debet, licet sit occultum. Irregularitates vero, quae oriuntur ex infamia facti, tolluntur per constantem vitae emendationem, quae per triennium perseveret (2).

Q. *Quot sunt irregularitates ex defectu?*

R. Septem: nempe 1. ex defectu animae; 2. ex defectu corporis; 3. ex defectu natalium; 4. ex defectu aetatis;

---

(1) Sunt aliqua delicta, quibus a jure adnexa est infamia, puta adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio, sodomia, lenocinium, invasio Cardinalium vel Episcoporum, exercitium histrionis cum turpibus repraesentationibus, non autem macellarii, etc. Lig. VII. 363. Si quis haec committat, et fit notum per publicam famam, ita ut nulla tergiversatione celari queat, evadit infamis infamia facti. Si vero crimen reus ipse confitetur in judicio, vel adest sententia judicis, saltem criminis declaratoria, reus evadit infamis infamia juris. Insuper infamia juris oritur etiam ex poena inflicta graviter infamante, uti damnatio ad triremes, etc. At collatio beneficii si fiat infami juris, ipso facto est irrita; si infami facti, potest irritari.

(2) Potest quoque episcopus dispensare in irregularitate contracta ob usurpationem ordinum; sed tantum, ut irregularis possit in susceptis ministrare. Adverte, quod omnis irregularitas ex delicto tollitur per baptismum.

5. ex defectu libertatis; 6. ex defectu lenitatis; 7. ex defectu sacramenti.

Q. *Quinam sunt irregulares ex defectu animae?*

R. Amentes, illiterati, et neophyti (1).

Q. *Quinam sunt irregulares ex defectu corporis?*

R. Illi, quibus ob phisicam impotentiam vel indecentiam notabilem altaris ministerio fungi prohibetur: puta caeci, muti, corpore debiles, carentes manu, abstemii, mulieres, nimis deformes, monstruosi, etc. (2).

Q. *Quinam sunt irregulares ex defectu natalium?*

R. Illegitimi, dummodo non sint legitimati per subsequens matrimonium (3); filii eorum, qui damnati sunt ob

(1) Neophyti sunt, qui recenter ad fidem conversi sunt. Possunt isti ordinari, postquam bene in moribus profecerint per tempus judicio episcopi definiendum. Amentes, idest qui usu rationis carent; et illiterati, qui nempe scientiam sufficientem prorsus non habent ad Ordinum officia exercenda, sunt inhabiles etiam de jure divino et naturali: ideoque durante tali defectu, nec etiam a Papa possunt dispensari. Cessata vero ignorantia, haec irregularitas de se cessat sine dispensatione.

Imo si quis ex praefatis defectus ordinibus superveniet, non impeditur ordinatus ab actibus, quos sine indecentia exercere potest. Hinc si epilepsiae aggressio raro Sacerdoti contingat, puta semel in mense, iste potest celebrare privatim et cum adsistentia sacerdotis jejuni, modo non subito in terram cadat, nec spumat. Idem dic de energumenis et lunaticis.

(2) At irregulares sunt claudi, si absque baculo sustentari nequeunt in altari: surdi non adhuc promoti; surdastribus autem dispensatio concedi solet ad cautelam: carentes oculo sinistro, non dextro, si Canonem legere non possunt sine indecenti faciei conversione: eunuchi voluntarii: blaesi, si risum moverint: etc. In dubio autem ad Episcopum spectat declarare, an isti sint irregulares.

(3) Adverte, quod per subsequens matrimonium filii legitimantur vel dispensatione Pontificis; vel ipso jure, quando nempe inter parentes tempore conceptionis, aut saltem nativitatis ipsorum, consistere poterat matrimonium, eo quod nullo erant impedimento dirimente irretiti.

Porro illegitimi non sunt filii nati ex matrimonio invalido, dummodo bona fide saltem ex parte unius conjugis contractum fuerit matrimonium coram ecclesia et praemissis denuntiationibus. Utrum vero

delictum laesae majestatis; filii ex meretrice; filii ex matrimonio civili; et filii ac nepotes haereticorum, modo tamen notorium sit parentes fuisse haereticos, et in haeresi decessisse (1).

Q. *Quinam sunt irregulares ex defectu aetatis?*

R. Qui nondum habent aetatem a jure canonico requisitam ad ordines. Haec irregularitas est ad tempus, donec compleatur aetas (2).

Q. *Quinam sunt ex defectu libertatis irregulares?*

R. Uxorati sine venia uxoris vel sine divortio perpetuo; curiales, nondum reddita ratione et dimisso officio; et olim erant etiam mancipia, durante servitute (3).

Q. *Quinam sunt irregulares ex defectu lenitatis?*

R. Omnes baptizati, qui voluntarie et proxime concurrunt ad necem vel mutilationem alterius sive in bello justo offensivo, sive in judicio justo; et clerici in sacris chirurgiam exercentes cum incisione vel adustione extra necessitatem (4).

---

illegitimi dubii, uti expositi, censendi sint irregulares, quaestio: sed probabilius cum D. Lig. negatur.

Demum aliquando filii nati ex matrimonio valido sunt *canonice* illegitimi, quando scilicet nascuntur ex parentibus solemni voto ligatis.' Stampò.

(1) Isti sunt irregulares ex infamia parentum: requiritur tamen, ut nati sint post delictum, ut advertit Ligor; secus non censentur irregulares. Si vero mater est haeretica, soli filii sunt irregulares; nepotes enim intelliguntur ex linea masculina.

(2) Nota. Pro prima tonsura requiritur saltem septennium; pro ordinibus minoribus nulla aetas in jure statuta est, sed conferri solent ab anno 7 ad 14: pro subdiaconatu an. 22: pro diaconatu an. 23: pro sacerdotio 25: pro episcopatu 30. At ex S. C. C. annus inceptus habetur pro completo; et computandus est non a baptismate, sed a nativitate.

(3) Curiales sunt, qui Curiae saeculari servire tenentur juramento, vel stipendio; uti judices, advocati, milites, reipublicae administratores, etc: non vero tutores, curatores viduarum, pauperum, et orphanorum; neque administratores bonorum ecclesiae vel loci pii, etc. Lig. III. n. 838. qui non sunt irregulares.

(4) Hi omnes, secuta morte vel mutilatione, irregulares evadunt;

Q. *Quinam sunt defectu sacramenti irregulares?*

R. Omnes bigami (1).

Q. *Quinam potest dispensare in irregularitatibus ex defectu?*

R. Solus Summus Pontifex: episcopus potest solum dispensare in bigamia similitudinaria, dummodo matrimonium non attentatum sit cum vidua, vel corrupta. Potest

---

quia non repraesentant perfectam lenitatem, seu mansuetudinem Christi.

At *in bello justo offensivo* fit irregularis, qui propria manu aliquem occidit vel mutilat, non qui alios ad pugnam excitat. Dicitur *in bello justo*; nam in bello injusto omnes fiunt irregulares ex delicto, si unus moriatur in eo. *Offensivo*, quia in bello justo defensivo nemo evadit irregularis; sicut nec etiam qui aggressorem occidit cum moderamine inculpatae tutelae. Clericus tamen in sacris vel beneficiatus militans, si in aliquo conflictu sclopum adhibuerit, irregularis fit, etsi neminem se laesisse juret. S. C. C. 13 jan. 1703.

In *judicio justo* irregulares fiunt judices eorumque assessores; sententiae scriptores et executores, non transcriptores; testes voluntarii, non coacti (et ideo ne quidem *jury*); advocati contrarii; accusatores et denuntiatores; etc. Non ita tamen qui in *causa propria* alium accusant cum externa protestatione *citra poenam sanguinis*, h. e. se nullam intendere occisionem, vel mutilationem ex decretali Bonifacii VIII; parochi a judice requisiti si, audito prius Ordinario, transcribunt ex libro parochiali fidem, quae petitur in causa sanguinis ex S. C. C. 12 aug. 1843; assistentes supplicio, si sua praesentia in illud non influant; etc.

(1) Idest plurium uxorum viri, qui non repraesentant Sacramentum, seu Mysterium unionis Christi cum Ecclesia, unica ejus sponsa et virgine.

Bigamia vero est multiplicatio matrimonii: et est triplex, nempe, *vera*, *interpretativa*, et *similitudinaria*. Vera est, quando quis successive contrahit matrimonium cum pluribus, et consummat. Interpretativa est, quando quis contrahit cum vidua, aut ab alio corrupta, et consummat; vel quando cognoscit suam uxorem ab alio cognitam tempore matrimonii; vel quando duo matrimonia contrahit, unum validum et alterum nullum, aut ambo nulla, et consummat; quia tunc interpretatione juris duas uxores habuisse censetur. Similitudinaria est, quando quis ligatus voto solemni castitatis attentat matrimonium et consummat.

etiam episcopus dispensare cum illegitimis, sed tantum ad ordines minores, et ad beneficium simplex. Professio religiosa tollit irregularitatem natalium, sed non quod ad dignitates in religione: et per baptismum tollitur irregularitas ex defectu lenitatis.

De infamia, depositione, et degradatione.

Q. *Quid est infamia?*

R. Est poena canonica, quae sequitur aliqua delicta, et inducit irregularitatem, ut supra est dictum.

Q. *Quid est depositio?*

R. Est poena canonica, per quam clericus in perpetuum privatur ordinis exercitio, jurisdictione, et beneficio, retento tamen privilegio canonis et fori.

Q. *Quid est degradatio?*

R. Est poena canonica, qua clericus etiam privilegiis canonis, et fori privatur (1).

APPENDICES

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

De I. Praecepto.

In hoc praecepto jubet Deus cultum sibi debitum dari internum, qui exhiberi debet praecipue actibus virtutum theologicarum; et externum, qui exhiberi debet praecipue actibus virtutis religionis. De his virtutibus consule, quae dicta sunt in instit.

Vitia, quae his virtutibus opponuntur, et de quibus ibid., huic praecepto sunt etiam opposita.

---

(1) Degradatus tamen valide facit, quae sunt ordinis: tenetur ad castitatis debitum et ad horas; invalide contrahit matrimonium.

De II. Praecepto.

In hoc praecipitur debita reverentia Dei nomini exhibenda in juramentis, et in voto, de quibus in Tract. *de relig*: et prohibentur blasphemiae, de quibus superius in Tract. *de peccatis*, et quilibet abusus Divini Nominis in juramentis, et in votis.

De III. Praecepto, seu de festorum observantia.

Obligat hoc praeceptum sub gravi fideles usum rationis habentes ex jure naturae, ex jure divino positivo quod ad substantiam, et ex jure ecclesiastico quod ad designationem diei et cultus. Duo praecipiuntur observanda die festo: cultum Deo exhibere (1), et se abstinere ab operibus servilibus.

Ad cultum Deo exhibendum praecipitur ab Ecclesia auditio missae, quae audiri potest etiam in aliquo oratorio privato, quando adest debita licentia.

Ad missam rite ex praecepto audiendam tria requiruntur: ex parte fidelium *praesentia phisica et moralis*: ex parte sacrificii *integritas*: ex parte Sacerdotis *habilitas celebrandi* (2).

---

(1) Nota, quod licet peccatum opponatur Dei cultui, et fini hujus praecepti, tamen ex D. Thoma, et ex D. Ligorio peccare in die festo non constituit speciale peccatum, quidquid dicant alii.

(2) I. Praesentia *phisica*, ut nempe quis sistat in loco celebrationis, vel sit cum aliis audientibus (saltem moraliter) conjunctus, modo per se vel per alios videat aut audiat quid agatur: unde caecus simul et surdus hoc praecepto non tenetur. *Moralis*, idest cum intentione audiendi Missam; et cum attentione non solum externa (nullam agendo actionem incompatibilem), sed etiam interna, quae potest esse vel ad Deum (orando, meditando), vel ad mysteria Missae, vel ad verba et actiones celebrantis animo colendi Deum: unde non satisfacit, qui in Ecclesia moratur causa eam videndi, amicum expectandi, etc. qui per notabilem Missae partem dormit, fabulatur,

Parvam partem missae omittere est veniale, puta usque ad evangelium exclusive, vel ea omnia, quae dicuntur peracta communione usque ad finem. Excusant ab auditione missae: 1. impotentia, prout in infirmis, carceribus detentis, etc.; 2. grave incommodum, prout in navigantibus, vel viatoribus, qui grave damnum paterentur; 3. consuetudo legitime introducta in aliquibus locis, ut viduae, filiae, sorores ratione luctus per aliquot dies e propria domo non exeant.

Opera possunt esse *servilia*, *liberalia*, et *communia*. Prima sunt illa, quae immediate fiunt in corporis utilitatem potius, quam animae; viribus corporis exercentur, uti suere, fodere, fabricare, etc; et ab operariis tantum, ac servis fieri solent. Secunda sunt illa, quae ab anima procedunt, et ad animum excolendum spectant, uti legere, docere, canere, organa pulsare, etc. ac a liberis exercentur. Tertia demum sunt illa, quae promiscue a liberis et servis exercentur, uti iter facere, venari, etc. Opera servilia tantum prohibentur die festo (1).

---

confessionem peragit, etc: excipe juxta aliquos casum, quo obligati ad Missam aliter confiteri nequeunt.

II. *Integritas* h. e. ut audiatur unum et integrum Sacrificium: unde praecepto non satisfacit audiens duas Missae partes a duobus celebrantibus sive simultanee ex prop. dam. ab Innoc. XI, sive successive, quidquid alii dicant. Attamen qui totum non valet audire Sacrum, tenetur ad partem momentosam; et ideo qui veniret post consecrationem, reliquum audire debet.

III. *Habilitas celebrandi* importat, ut Sacerdos sit catholicus (quocunque idiomate celebret, latino, greco, syriaco), nec ab Ecclesia Rom. rejectus: quare non licet audire Missam censurati vitandi, depositi vel degradati, neque haeretici vel schismatici; cum istis enim ex jure prohibetur communicare in divinis, nisi urgeat extrema necessitas.

(1) Ex jure canonico vero prohibentur etiam opera forensia, uti praestare juramentum judiciale pro rebus temporalibus, formatio processus, citatio partium, prolatio sententiae et executio. Prohibentur etiam ex eodem jure mercatus: sub hoc nomine veniunt venditiones in publicis officinis, et hae prohibentur ratione scandali; excipe, si vendantur res necessariae, et etiam exculenta ac poculenta, licet sint

Causae quae reddunt licita opera servilia in die festo sunt istae: 1. dispensatio (1); 2. consuetudo (2); 3. pietas (3); 4. charitas (4); 5. necessitas (5); 6. utilitas publica (6); 7. parvitas materiae, quae excusat saltem a culpa gravi (7).

---

ad gulositatem. Nundinae universales, vulgo *fiere*, ex consuetudine permittuntur, et alicubi etiam nundinae particulares in quavis hebdomada. Tandem prohibentur et alii contractus; excipe tamen cum S. Ligorio, si fiunt sine instrumentis et sine judicis auctoritate.

(1) Pontifex dispensat pro tota ecclesia: episcopi, et habentes jurisdictionem quasi episcopalem, pro suis subditis, etiam in festis communibus, stante causa; parochi, etiam praesente episcopo, ex consuetudine pro suis filianis, sed ad actum tantum, uti refert D. Ligorius.

(2) Ex consuetudine licet ducere currus et jumenta onusta, vertere et separare segetes, rigare olera, et probabiliter etiam barbitonsoribus tondere, maxime rusticos, vel si a plerisque relinquerentur cum jactura gravis lucri; vide D. Ligorium.

(3) Hinc licet verrere templum, coquere hostias, ornare altaria, vel ecclesiam, vel sepulcrum tapetis. An autem ex pietate liceat in die festo conficere vestes pro pauperibus, colere agros ecclesiae, vehere lapides ad ejus aedificium, dealbare parietes templi, alii negant; sed alii affirmant, maxime quando adesset actualis et gravis necessitas, vel quando adesset licentia episcopi.

(4) Hinc licet infirmis vel pauperibus actu egentibus subvenire, opera servilia, vel actus judiciales pro ipsis exercendo.

(5) Intelligitur necessitas propria vel aliena animae, vel corporis, et juxta probabiliorem sententiam etiam amissio magni lucri est causa excusans ab hoc praecepto. Laborare autem ad otium vitandum est licitum, sed tantum in casu, quo urget tentatio, quae aliter vinci non posset.

(6) Hinc ob victoriam, vel adventum magni principis est licitum laborare, ut perficiantur ignes, vestes, etc. si pridie perfici nequiverint.

(7) Aliqui pro materia gravi ponunt unam horam, alii duas, alii tres. An autem peccet graviter, qui die festo mandat multis famulis, ut laborent per hoc tempus, quaestio: sed probabilius peccat leviter; quia opera famulorum non coalescunt in unum, et dominus non potest magis peccare quam famuli, qui singuli tantum leviter peccant.

De IV. Praecepto, seu de officiis inferiorum erga superiores, et viceversa.

Ex hoc praecepto tenentur filii tum genitoribus, tum aliis eorum superioribus amorem, reverentiam et obedientiam praestare. Ex eodem praecepto tenentur parentes ad conservationem, et educationem filiorum; eos instruere per se vel per alios; curare, ut eum statum eligant, ad quem a Deo vocantur. In his mutuis eorum officiis, si notabiliter deficiunt, graviter peccant.

Patres vero secundum spiritum, nempe sacerdotes, et praecipue pastores tenentur aliorum salutem procurare verbo, exemplo, oratione, correctione, sacramentorum administratione, etc. Fideles vicissim debent eos amare, honorare, eis obedire.

Tandem patrini debent bonis doctrinis et moribus informare filiolos suos; et isti illos prosequi amore, reverentia, et obedientia.

De V. Praecepto.

Prohibetur in hoc Praecepto odium, detractio, homicidium, et alia delicta contra proximum, de quibus omnibus disputatum superius est in Tract. *de peccatis*.

De VI. et IX. Praecepto.

In VI Praecepto primario prohibetur adulterium, deinde quaevis fornicatio, et externae libidinis actus. In IX prohibetur etiam eorum desiderium, vel morosa delectatio, de quibus superius in Tract. *de peccatis*.

De VII. et X. Praecepto.

In VII Praecepto prohibetur omne furtum, et omnis injustitia, de quibus superius in Tract. *de restit*: horum desiderium prohibetur in X.

De VIII. Praecepto, seu de judicio legali ejusque participantibus.

In hoc Praecepto prohibetur omne falsum testimonium, et mendacium, de quo superius in Tract. *de peccatis*.

Quia ad rationem hujus Praecepti pertinet etiam, ut judicia juste exerceantur, ideo pauca dicenda de judice, de accusatore, de denuntiatore, de testibus, de advocato, de procuratore, et de reo.

1. Ad legitimum judicium tria requiruntur: 1. jurisdictio, sine qua sententia est nulla; 2. rectus processus, v. g. ut citetur reus, et audiatur; 3. recta intentio, ut scilicet procedatur ex intentione justitiae. Praeter haec tria judex debet habere debitam scientiam, tenetur causas recte judicare, et celeriter expedire; secus peccat, et tenetur ad damna, si adsint. Non potest pro lubitu poenam minuere vel augere. Debet judicare non secundum privatam suam scientiam, sed juxta allegata, et probata; excipe cum Ligorio, si agatur de poena capitali in eum, quem private certo scit esse innocentem, et juridice constat esse nocentem. Judex potest etiam sine ulla data occasione instituere inquisitionem generalem, in qua tamen ejus potestas non extendit se ad occulta scienda, de quibus nulla est fama. Quando crimen est manifestum et ignoratur auctor, licet judici quaerere in genere quis fecerit; non tamen in particulari, v. g. an *Petrus* fecerit, nisi infamia aliqua vel indicia praecesserint. Ut judex faciat inquisitionem specialem, debet praecedere infamia, vel quid aequipollens, quod justam det causam.

2. Circa accusatorem, et denuntiatorem praenotandum, aliam esse *accusationem*, aliam *denuntiationem juridicam*, aliam *denuntiationem evangelicam*, sive paternam. *Accusatio* est illa, quae fit superiori tanquam judici, ut reus puniatur cum obligatione probandi delictum, et poenam incurrendi, nisi probetur. *Denuntiatio juridica* fit superiori tanquam judici, sine tamen obligatione probandi delictum. *Denuntiatio evangelica* est, quae fit superiori tanquam patri.

Ad accusationem tenemur, quando id exigat bonum commune, vel nostrum, vel alicujus innocentis, et in hoc ultimo casu, dummodo non adsit nostrum grave incommodum.

Ad denuntiationem juridicam non tenemur, quando delinquens est emendatus; vel quando cogeremur probare, et probare non possumus; vel quando immineat grave periculum honoris, vitae, vel rerum nostrarum.

Denuntiationem evangelicam quisque potest facere superiori, omissa etiam secreta correctione fraterna, si speretur sic melius emendatio fratris obtineri.

3. Testes tenentur aperire veritatem, quando sunt legitime interrogati.

Tunc judex legitime interrogat, quando adest semiplena probatio, puta, unus testis de visu, vel de proprio auditu (in judicio enim saltem duo testes requiruntur); vel si adest notorietas delicti, vel indicia evidentia. Non tenentur vero, etiamsi legitime interrogati, quando rem sciant sub secreto naturali vel commisso, quando violari non liceat, prout dictum est in Tract. *de pecc.* de secreti manifestatione; vel quando sibi vel suis immineat notabile damnum, nisi damnum commune, vel privatum alienum praevaleat; vel quando factum sciant per injuriam, v. g. litteras aperiendo, vel alium cogendo ad revelationem; vel quando, qui in judicio accusatur, non est reus propter ignorantiam inculpabilem, vel alia ex causa, dum mens judicis est inquirere de delicto.

Testis legitime interrogatus, si falsum dicit in damnum tertii, peccat contra justitiam commutativam positive se habendo. Si vero negative, nempe veritatem celando dicens *se nihil scire*, peccat tantum contra obedientiam debitam judici, et contra religionem, si adest juramentum, non contra justitiam commutativam, uti sentiunt multi Doctores apud Ligorium.

4. Advocati officium exercere non possunt religiosi, nisi utilitas monasterii id exigat; sicut nec etiam clerici in sacris, vel in minoribus sed beneficiati: excipe in causa

propria, vel consanguineorum suorum, vel pauperum. Clerici in minoribus sine beneficio possunt advocare in quocunque foro; excipe, si agatur de tuendo actore in causis criminalibus.

Potest advocatus suscipere causam dubiam (nunquam vero injustam) admonendo clientem de statu causae. Tametsi defendat causam justam, nunquam potest producere scripturas falsas, vel falsos testes. Potest in causa criminali defendere reum, quia reus non tenetur ad poenam, nisi convictus. Non potest cum cliente convenire de pretio post inchoatam litem, sed hoc potest vel ante coeptam, vel post finitam litem.

Procurator dicitur ille, qui in litis defensione adjutor est advocati pro patrocinio clientis. Tabellio vel scriba dicitur, qui efformat acta. Hi omnes debent habere congruentem peritiam, et servare fidelitatem in suo munere; alias peccant contra justitiam (1).

5. Reus, quando legitime interrogatur, debet aperire veritatem; idcirco judex tenetur reo manifestare statum causae, et quae sint indicia, quomodo probetur delictum, ut reo constet quod interrogatur legitime; alioquin non tenebitur respondere. Reus interrogatus legitime tenetur manifestare complices, quando hoc exigat bonum commune, vel quando contra eos adest semiplena probatio.

---

(1) In D. N. falsificantes cum gravi damno alterius, vel corrumpentes apochas, singraphas, instrumenta, processus; aut his scienter utentes; nec non mandantes, aut cooperantes; praeter hos Actuarii, Subactuarii, Notarii, Scribae, qui cum alterius partis offensione, aut cum Reipublicae vel legalis justitiae detrimento, dolose auctam vel diminutam informationem capiunt, et sic dicta testium scribunt; item porterii vel cursores, qui in grave tertii praejudicium falsum in acta referunt, incidunt in excom. Ord. reser. C. VI.

Ad incurrendam porro hanc censuram requiritur: 1. ut id dolose faciant; 2. ut testium depositiones dolose auctas vel diminutas scribant; 3. ut occurrat damnum tertii, uti dictum est in notis de *Mendacio*, aut detrimentum reipublicae vel justitiae legalis, quando nempe grave delictum remanet impunitum. Quoad porterios vero sufficit secundum aliquos, ut relatio falsi ex se afferat tertii praejudicium, etsi per accidens postea non sequatur.

Reus ad gravem poenam evitandam si effugiat e carcere, non peccat: resistere autem justitiae ejusque ministris, ut poenam effugiat, non licet.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

Plurima sunt praecepta Ecclesiae; praecipue tamen toti christiano populo communia quinque numerantur, nempe: 1. sanctificatio festorum, quae ab Ecclesia sunt instituta; 2. missae auditio singulis festis diebus; 3. observantia jejuniorum, et abstinentia a quibusdam cibis in singulis feriis sextis et sabbatis; 4. sacramenti Poenitentiae receptio semel in anno; 5. et receptio Eucharistiae in Paschate.

De primo et secundo Praecepto consule quae dicta sunt in III. Decalogi praec.

De III. Ecclesiae Praecepto, seu de jejunio.

Jejunium praecipue dividitur in naturale, et ecclesiasticum. Naturale est abstinentia ab omni cibo ac potu, de quo in Eucharistia.

In vigiliis, et in quadragesima praecipitur jejunium ecclesiasticum, quod est quaedam abstinentia a cibis, quae in tribus consistit, nempe, in unica comestione (1), in

(1) In unica comestione praecipue consistit essentia jejunii. Haec unica comestio non excludit tamen coenulam serotinam, in qua octo unciae communiter permittuntur: sed eas per duas uncias excedere sine causa est veniale, nisi aliud extra comestionem sit per diem sumptum. In coenula non licet sumere octo uncias panis similisve cibi et coquere cum aqua et oleo, sed 4. vel 5: ipsa duplicari potest in vigilia Nativitatis Dni ratione solemnitatis, etsi festum Nativitatis incidat in feria secunda; at nunquam vero id licet, si in meridie coenula anticipetur.

Insuper unica comestio non interrumpitur, si finito prandio aliud manduces post tertiam horae partem; quin immo, si in prandio aliquod negotium occurrat, prandium ipsum nec etiam per horae spatium interrumpitur. Qui praeter unicam comestionem comedit cibos permissos in die jejunii, peccat tantum quando pro prima vice nota-

abstinentia a carnibus (1), et ut servetur hora pro comestione statuta (2).

---

biliter comedit, nam in hoc casu jam destructa est essentia praecepti; et hoc *notabiliter* intelligendum, cum excedas duas uncias, in quibus Doctores communiter reponunt materiam parvam fractionis hujus praecepti. Secus autem dicas de illo, qui comedit cibos prohibitos in die jejunii; nam iste peccat toties, quoties comedit, quia praeceptum in hac parte semper durat, et obligat etiam illos, qui ab unica comestione excusantur. At qui inculpabiliter bis comedit in die, probabilius tenetur a tertia refectione abstinere, ne jejunium etiam formaliter laedat

Jejunium denique *liquida* non frangunt, uti vinum, aquae artificiales, theum, caffeum, etc. quae habent rationem potus; nec *medicinalia*, uti electuaria (composizioni di zucchero e cedro, o arancio, ecc.) ad digestionem juvandam, ad conservandam vocem, vel ad aliam similem causam, nisi forte in fraudem in magna quantitate assumantur per modum cibi. Contra vero prohibentur potiones lactis, jusculi; sumptiones pomi, mali citrei, uvae, peponis, et similium, etiamsi tantum succus absorbeatur; habent enim rationem cibi. Potiones *sorbeti*, aquae mixtae cum saccharo et succo cinnamoni, etc., non frangunt, quando sunt in parva quantitate hujusmodi materiae commixtae. Quoad chocolatem, ex consuetudine uncia illius cum aqua distracta parva materia censetur. De his omnibus vide Ligor.

(1) Intellige etiam de sanguine, jusculo (brodo), medulla, visceribus, lardo, axungia, ac de quacunque substantia ab illis mortuis animalibus accipiatur, quae in communi aestimatione carnes, et non pisces reputantur. In quadragesima praecipitur etiam abstinentia ab ovis et lacticiniis, quae in aliis diebus jejunii de jure communi permittuntur, dummodo non prohibeantur ab aliqua municipali consuetudine, uti apud nos. Ad hanc abstinentiam tenentur omnes ab aetate usus rationis, etiamsi non teneantur ad unicam comestionem; et tempore quadragesimae servanda est etiam diebus Dominicis. Qui vero sunt dispensati ad carnes edendas in omnibus diebus jejunii et in Dominicis quadragesimae non possunt in eadem mensa edere carnes et pisces, etiam sale siccatos, vel testacea marina ex S. P. 16 Jan. 1834 Utens valetudinis causa jusculo carnis potest comedere pisces. In diebus jejunii, et in coenula serotina debent uti cibis esurialibus. Tandem in fractione hujus abstinentiae, quaenam dici debeat materi parva, non conveniunt Doctores; nam alii docent esse medietatem unciae, alii quartam, alii octavam unciae partem.

(2) Hora statuta est circa meridiem. Notabiliter (una hora) ho

Causae, quae excusant a jejunio sunt: 1. dispensatio (1); 2. impotentia (2); 3. labor (3); 4. pietas (4).

Demum praecipitur in feria VI et sabbato per annum abstinentia a carnibus (5), quae in N. D. includit etiam

---

tempus anticipare sine causa, est mortale; non quandolibet posticipare: anticipare autem coenulam serotinam in meridie, remittendo prandium ad horam serotinam sine ulla causa, non est, nisi veniale.

(1) Haec dari potest a Pontifice, et in casibus particularibus etiam ab episcopo pro sua dioecesi et a parocho pro suis filianis.

1.ª etsi sine causa, est valida; cum Pont. dispenset in lege sua. 2.ª et 3.ª cum causa. Nemo tamen potest a carnibus dispensari *sine legitima causa et de utriusque medici consilio*, idest medici et Parochi aut Confessarii. Ben. XIV. Bul. *Non ambigimus*. At notandum cum D. Th. quod si causa sit evidens, per seipsum licite potest homo statuti observantiam praeterire: si vero causa sit dubia, debet recurrere ad Superiorem.

(2) Hinc qui nondum compleverunt annum XXI, sexagenarii, infirmi, convalescentes, mulieres praegnantes vel lactantes, pauperes qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat, et alii qui jejunium servare non possunt sine gravi incommodo, excusantur.

(3) Hinc agricolae, fabri, et alii, qui exercent laborem incompatibilem cum jejunio, excusantur: sed hic notandae sunt duae propositiones damnatae ab Alexandro VII. Prima ajebat: *Excusantur absolute a jejunii praecepto omnes illi, qui equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant*. Secunda: *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit incompatibilis cum jejunio.*

(4) Hinc inservientes infirmis, et alii, qui jejunando non possent exercere opera pietatis et charitatis, quae commode differri nequeunt, excusantur.

(5) Qui fruuntur privilegiis Bullae Cruciatae possunt uti in quibusvis anni diebus lardo, axungia pro condiendis epulis, nec non ovis et lacticiniis: sed tantum intra neapolitani regni fines, cum sit hoc privilegium locale ad differentiam ceterorum, quae sunt personalia; et jejunii tempore semel in die, h. e. in unica comestione, si jejunii legibus tenentur: alio enim tempore, vel si a jejunio excusentur, qualibet hora diei lardum, axungiam, etc. adhibere possunt. Idem dic de Sacerdotibus saecularibus, cujuscunque sint dignitatis, et de Religiosis professis utriusque sexus; si tantum in quadragesima exci-

laridum et axungiam ex consuetudine: non vero ova et lacticinia. Vide Syn. Pignatel. p. I. cap. IX. n. 5. 6.

De IV. et V. Ecclesiae Praecepto, seu de annua communione et confessione.

Praeceptum recipiendi SS. Eucharistiam, et Confessionis est divinum quoad substantiam, et ecclesiasticum quoad temporis determinationem.

Ad Ss. Eucharistiam recipiendam de jure divino tenemur pluries in vita, et in probabili periculo mortis. De jure ecclesiastico tenemur semel in anno, tempore paschali, nempe a Dominica Palmarum usque ad octavam Paschatis inclusive (1).

---

pias hebdomadam majorem (quae probabilius incipit a Dom. Palmarum) in qua hoc privilegio uti nequeunt, nisi expleverint annum LX suae aetatis. Minime autem isto perfruuntur privilegio, qui solemni voto ad perpetuam Quadragesimam sese obligarunt. V. Porp. in fol. tract. IV. 162.

(1) Pro D. N. tempus paschale incipit a Dominica Palmarum, et extenditur usque ad Dom. SS. Trinitatis inclusive juxta rescriptum S. C. 1745. Hinc qui *culpabiliter* omittit adimplere praeceptum recipiendi Eucharistiam dicto tempore, incidit in interdictum ab ingressu ecclesiae latae sententiae Ord. reser. C. 7. Dicitur *culpabiliter*; si quis enim eo tempore sit legitime impeditus, non peccat, neque incurrit: quod si postea cessato impedimento per reliquam anni partem nec etiam adimpleat, peccat graviter; sed an incidat in interdictum, quaestio. At probabilius negatur, nam poena est contra non communicantes tempore paschali.

In Paschate vero non communicantes si ab aliis accipiunt schedulas, ut fidem parocho exibeant. Item qui schedulas non communicantibus dant in fraudem, vel utcunque ad id cooperantes incidunt in excom. Ord. reser. C. XIV. Ubi notandum est, quod ii tantum in hanc censuram incurrunt, qui ea intentione schedulas accipiunt, dant, accommodant, aut cooperantur consilio, mandato, etc. ut decipiant parochum de peracta communione; non vero patrem, magistrum, etc. Quare qui schedulam casu invenit, vel suam praeteriti anni accommodat, et parocho exhibet, non incidit; ab alio enim non accepit. Contra qui schedulam anni antecedentis vitiat, et alteri dat, ut parocho

Requiritur ad hoc praeceptum implendum aetas discretionis, quae apparere solet ab anno X. usque ad annum XIV. Praeterea satisfaciendum est huic Praecepto in propria Paroecia, vel alibi de licentia parochi. Sacerdos, si celebret, ubique satisfacit; secus in Parochia. Religiosi eorumque familiares et continui commensales in suis ecclesiis. Peregrini et vagi ubi actu degunt.

Qui sacrilege recipit Eucharistiam, non satisfacit huic Praecepto, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. Quin immo de jure communi incidit in interdictum ab ingressu ecclesiae, sed ferendae sententiae.

Tandem qui tempore paschali non recipit Eucharistiam, tenetur quovis alio tempore in anno eam recipere; quia tempus paschale est definitum ad sollicitandam, non vero ad finiendam obligationem.

Praeceptum confessionis obligat de jure divino semper ac quis lapsus sit in mortale peccatum, et in articulo vel periculo mortis. De jure ecclesiae semel in anno sub poena interdicti ferendae sententiae de jure communi.

Ad haec alia duo praecepta, ut assolet in Catechismis, nempe de solemnitate nuptiarum tempore sacrato non celebranda, de quo vid. in *impedimentis Matrim.* et nunc

DE DECIMIS ECCLESIAE SOLVENDIS.

Decima est pars proventuum agrorum vel industriae Clericis ad victum praestanda. Inde in realem, seu praedialem, et personalem dividitur. Illa debetur Parocho loci, ubi praedia sita sunt: haec, ubi Sacramenta recipiuntur. Sed in utraque standum est legitimae consuetudini locorum et temporum, prout constat ex variis juribus, et Rotae decisionibus. Decimarum debitores eas non solventes, sicut etiam impedientes, peccant graviter contra

---

exhibeat, incidit, etiamsi ad parochum non perveniat. Utrum denique sacrilege communicans ad hoc, ut schedulam accipiat ad fidem parocho exhibendam, in casum incidat, quaestio.

justitiam ac religionem, et excommunicatione coerceri possunt ex Trid. sess. XXV. cap. 12. de reform.

DE SACRAMENTIS.

Non hic de sacramentis, prout apud theologos dogmaticos, sed pauca tantum delibanda, quae confessario in exercitio sui muneris occurrere possunt.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Sacramentum novae legis definitur: Signum sensibile a Christo Domino institutum ad significandam et producendam gratiam sanctificantem.

Ad conficiendum sacramentum tria requiruntur, scilicet, materia, forma, et intentio ministri.

Hinc materia vel forma si *substantialiter* mutetur, vel minister non habeat intentionem saltem *virtualem* faciendi, quod facit Ecclesia, non conficitur sacramentum.

Intentio est deliberata voluntas id, quod agimus, conficiendi. Potest esse actualis, virtualis, habitualis, et interpretativa: actualis est praesens deliberata voluntas cum attentione conjuncta: virtualis est illa, quae ante praecessit et virtute in suis effectibus durat: habitualis est facilitas ex habitu acquisito proveniens, quam nulla praecessit intentio, vel si praecesserit, jam est moraliter interrupta: interpretativa dicitur quae modo non est, nec antea fuit, sed adesset, si agens ad id, quod agit, attenderet.

Minister potest esse ordinarius, et extraordinarius: ut licite conficiat vel administret sacramenta, debet esse in statu gratiae. Hinc si sit in peccato mortali, pro Eucharistiae confectione certum est debere praemittere confessionem ex praecepto Trid. nisi urgeat vera necessitas et desit copia confessarii, quia tunc sufficit contritionem cum obligatione confitendi *quamprimum*, h. e. intra triduum. Pro aliis Sacramentis probabilius sufficit, ut mo-

ralem adhibeat diligentiam ad se per contritionem justificandum.

Omnia sacram. ex opere operato producunt gratiam sanctificantem, et aliam gratiam, quam theol. vocant *sacramentalem*. Tria vero imprimunt etiam characterem, idest Baptismus, Confirmatio, et Ordo.

Sacramenta neganda sunt peccatori publico petenti, et peccatori occulto occulte petenti (1): peccatori occulto publice petenti sunt administranda, excepto sacramento Ordinis.

Non licet parocho assistere matrimonio eorum, qui sunt peccatores publici. Id docent etiam, qui dicunt, quod ipsi contrahentes sint ministri sacramenti, quia parochus ex officio debet impedire peccata filianorum suorum, qui in tali statu non habent jus, ut ille assistat. Parochus tamen excusari potest, si assistat ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta, ne ipsi perseverent in peccatis, ut docet D. Ligor. lib. VI. n. 54.

Ut quis valide suscipiat sacramenta, requiritur intentio, quae sufficit etiamsi sit habitualis, nempe, quae aliquando est habita et non retractata; imo quod ad extremam unctionem et confirmationem sufficit etiam *interpretativa*. Sed in poenitentia et matrimonio debet esse saltem virtualis.

In infantibus autem et perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio, cum in eis suppleat intentio Christi vel Ecclesiae.

Ut quis demum licite suscipiat baptismum ac poenitentiam praerequiritur dispositio fidei, spei, et attritionis:

---

(1) Intellige ex D. Tho. quando crimen nulla potest tergiversatione celari. Hinc si crimen est certum et poenitentia dubia, denegandum est Sacramentum: secus, si dubitetur de crimine; quia nemo praesumendus est malus, nisi certo probetur. Attamen semper excipiendum est, quando crimem fuit cognitum ex confessione sacramentali ob inviolabile sigillum. Dictum est autem *peccatori publico petenti*, quando scilicet maximae populi parti, nempe ferme omnibus, certa sit ac nota ejus actualis indignitas. Ita ex Scavini Compend.

pro reliquis Sacramentis status gratiae; sed cum hac differentia, quod ad Eucharistiam praemitti debeat ex speciali praecepto confessio et absolutio ab omni mortali; ad alia communissimum est sufficere praemittere contritionem. Vid. Lig. VI. 83. 86.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

De Baptismo, et Confirmatione.

Baptisma definitur Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem. Institutum fuit ante Christi passionem, ut communius docent Doctores. Est omnibus necessarium necessitate medii, pueris in re, adultis saltem in voto.

Materia remota baptismatis est aqua naturalis: proxima vero est ipsa ablutio catechumeni. Haec fieri potest vel per immersionem, vel per aspersionem, vel per infusionem; necesse tamen semper est, ut aqua physice tangat corpus. Puer adhuc existens in utero matris, si baptizetur, valide baptizatur, licet alii aliud sentiant: si egrediens de utero, abluatur caput, iterum baptizari non debet; si vero abluitur in alia corporis parte, iterum baptizari debet sub conditione.

Forma sunt verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; quae omnia (excepto pronomine *Ego*) sunt essentialia.

Minister ordinarius baptismi solemnis est sacerdos; extraordinarius est diaconus, sed in necessitate et ex commissione proprii parochi. Baptismi privati minister in casu necessitatis est quilibet homo rationis utens, etiamsi haereticus vel infidelis.

Subjectum capax Baptismi est solus homo vivus ab Adamo descendens, nondum baptizatus. Unde in dubio Sacramentum hoc ministratur sub conditione: *Si tu es homo. Si capax es. Si non es baptizatus, ego te baptizo* etc.

Sed ex dec. C. S. I. 20 nov. 1878 in conversione hae-

reticorum a quocunque loco, vel a quacunque secta venerint, inquirendum est de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc *sub conditione* secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei.

In baptismo solemni (et Confirmatione) sub gravi requiritur patrinus, qui ad curam filioli obligatur circa res fidei et morum, nisi hoc a parentibus praestetur. Ab hoc officio tamen prohibentur de jure comm. monachi et moniales; publice criminosi vel censurati; qui rudimenta fidei ignorant; ac proprii genitores: de jure N. D. etiam minores 14 annorum; ecclesiastici et procuratores monialium sine expressa licentia Ordinarii; et in Confirmatione qui sunt diversi sexus. Reliqua vide de imped. *Cognationis*.

Effectus baptismi sunt: 1. remissio omnis peccati tum quod ad culpam, tum quod ad poenam: 2. collatio gratiae sanctificantis: 3. impressio characteris, et ideo iterari non potest. Quando vero prudenter dubitatur de ejus collatione aut valore, iterari debet sub conditione.

Confirmatio est sacramentum, quo per impositionem manus episcopi et unctionem chrismatis confertur fideli baptizato gratiae augumentum et robur. Institutum fuit a Christo secundum aliquos Doctores post resurrectionem. Non est hoc sacram. necessarium necessitate medii, sed declarat Bened. XIV: *Eos gravis peccati reatu teneri, si (cum possint) ad confirmationem accedere renuunt ac negligunt*.

Materia hujus sacram. remota est Chrisma confectum ex oleo olivarum et balsamo, benedictum ab Episcopo: proxima est unctio chrismatis in fronte confirmandi cum

simultanea illa manus impositione, quando dicit Episc: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* quae manus impositio ab unctione est indistincta. Forma sunt praedicta verba ab episcopo prolata.

Episcopus est minister ordinarius; extraordinarius potest esse sacerdos ex speciali commissione Pontificis.

Subjectum sunt omnes et soli baptizati, nondum confirmati: unde infantes vel perpetuo amentes valide suscipiunt hoc sacram. quacunque aetate. Verum hodie apud nos, deficiente alia causa v. g. periculo mortis vel longa absentia Episcopi, *maxime convenit Sacramentum iis differre usque ad annum septimum* ex Catechis. Rom. et Pontificali.

In adultis vero ad validam susceptionem hujus sacram. requiritur intentio, saltem interpretativa: ad licitam exigitur 1.° status gratiae, prout dictum de *Sacr. in genere*; 2.° ut, quantum aetas tulerit, sciant rudimenta fidei, Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, et Sacramenti suscipiendi naturam. Ben. XIV. Const. *Etsi*.

Effectus sunt augumentum gratiae et robur ad fortiter pro fide praeliandum; imprimit characterem; et inducit spiritualem cognationem. De patrino demum vide dicta superius in baptismo.

De Eucharistia, prout est Sacramentum.

Eucharistia, quae vocatur graece *synaxis*, idest *adunatio*, et vocatur etiam *viaticum*, est sacramentum, in quo sub speciebus panis et vini continetur verum Corpus et Sanguis Christi ad spirituale alimentum fidelium.

Materia est panis triticeus sive azymus, ut apud Latinos, sive fermentatus, ut apud Graecos; et vinum de vite. Ex gravi praecepto Ecclesiae vino admisceri debet parum aquae ad denotandam aquam et sanguinem, qui de latere Christi exivit, et unionem Christi cum fidelibus. Forma sunt verba consecrationis.

Ministri conficiendae eucharistiae sunt soli sacerdotes. Ministri dispensationis possunt esse diaconi, quando adest necessitas et delegatio eis facta.

Effectus hujus sacramenti sunt alere, et confortare animam in spirituali vita; praebere antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a mortalibus praeservemur; accipere pignus futurae gloriae et aeternae unionis cum Christo.

In suscipiente eucharistiam praeter statum gratiae requiritur de praecepto ecclesiastico jejunium naturale, quod non admittit parvitatem materiae, et servari debet a media nocte praecedenti, quae computari potest etiam juxta tempus medium Romae, ut ex resp. S. P. 18. Junii 1873. Ut frangatur hoc jejunium, copulative requiritur: 1. ut id quod sumitur, sumatur ab extrinseco (hinc reliquiae cibi dentibus haerentes si deglutiantur, non frangunt jejunium, maxime si hoc fiat involuntarie); 2. ut sumatur per modum comestionis vel potationis (hinc per casualem deglutitionem pulveris, vel guttae pluviae, vel culicis, vel muscae, etc. non frangitur jejunium); 3. ut res sumpta habeat rationem cibi, vel potus (hinc per sumptionem rerum indigestibilium, uti sunt capilli, vitrum, filum sericum vel laneum non frangitur jejunium). Potest tamen quis non jejunus communicare: 1. quando sumenda est eucharistia pro viatico; 2. in periculo, ne eucharistia pereat, vel male tractetur; 3. quando sumenda est ad complendum sacrificium; 4. in periculo gravis scandali, vel damni orituri ex omissione sacrificandi vel communicandi.

De Eucharistia, uti sacrificium.

Sacrificium late sumptum est *oblatio rei sensibilis facta Deo per immolationem in signum ejus supremi domini.* Missa vero definitur: *Corporis et Sanguinis D. N. J. C. consecratio et oblatio.* Ita D. Ligor.

Vocatur missa *a mittendo*, ut observat D. Greg., quia

populus per sacerdotis ministerium hanc oblationem, et suas preces et vota mittit Deo.

Est sacrificium latreuticum, eucharisticum, impetratorium, et propitiatorium: En fines et effectus hujus sacrificii.

Essentia sacrificii Missae ex D. Lig. probabilius partim in consecratione et partim in sumptione consistit; in illa enim ponitur victima, in hac consumitur.

Sacerdos, qui solus est minister hujus sacrificii, quanta maxima fieri potest devotione et reverentia, illud peragere debet: hinc si infra horae quadrantem absolveret, difficulter a mortali excusari potest, licet Missa sit ex brevioribus.

Graviter peccat Sacerdos Missam non celebrans pro eo, qui stipendium dedit. Imo etiamsi tantum differat celebrare, quando Missa pro aliqua urgenti causa sit petita, puta pro felici partu, pro gravi infirmitate; aut pro aliqua festivitate, tempore statuto; nam circumstantia temporis tunc pertinet ad substantiam rei petitae: ac proinde, licet postea celebraverit, stipendium non potest retinere; et tenetur monere, qui stipendium dedit, de missa tempore apto omissa. In aliis casibus peccat graviter, quando Missas pro vivis intra duos menses, et Missas pro defunctis intra unum mensem non curet celebrare, modo aliud non constet, vel praesumatur ex voluntate tradentis.

Qui vero non celebrat in ecclesia, altari, nec in die, et hora ipsi designata, tunc peccat graviter, cum hoc faciat saepius (puta quater vel quinquies in mense); sine causa vel dispensatione; et istae conditiones sint appositae ob grave motivum, puta ob specialem diei cultum, populi commodum, etc. Sed non tenetur restituere, si eleemosyna data sit ordinaria: secus si pinguis, saltem quod ad excessum. Capellanus vel beneficiatus obligatus Missam celebrare quotidie, aut ter vel quater in hebdomada, si aegrotat, non tenetur supplere per alium, quando id non fuit a fundatore expressum, et infirmitas est brevis, puta

per quindecim dies, uti ex S. C. C. 17. nov. 1695. Excipe tamen Parochos aliosque curam animarum habentes, qui, licet infirmi, singulis Dominicis et festis (etiam suppressis) ad Missam pro populo tenentur in propria ecclesia; quia haec obligatio nedum personalis est, sed etiam realis ac localis, uti ex S. C. C. 14. dec. 1872.

Sacerdos celebrans in mortali quatuor mortalia committit: 1. quia indigne consecrat; 2. quia indigne sumit; 3. quia indigne ministrat; 4. quia ministrat indigno, qui est ipse idem. ita D. Ligor.

Sacerdos accipiens eleemosynam pro missa, non potest eam dare aliis celebrandam, retenta sibi stipendii parte; quia oppositum est damnatum ab Alex. VII. et partem retentam restituere debet illi, qui missam celebravit. Excipe tamen, si stipendium majus datum sit intuitu personae, puta, quia est consanguineus, pauper, causa gratitudinis, etc. Excipe etiam beneficiatos et capellanos, licet amovibiles, quia decreta loquuntur de missis manualibus, ut notat D. Ligor.

Colligentes autem eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent incidunt in excom. P. reser. Cas. XII. *Ap. Sedis.*

De Sacramento Extremae Unctionis.

Sic definitur: Sacramentum a Christo Domino institutum ad salutem animae, vel etiam corporis, conferendam infirmis de vita periclitantibus per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis.

Ex definitione patet: 1. Christum instituisse sicut alia, sic et hoc sacramentum, sed probabilius post Resurrectionem: 2. Effectus hujus sacram. esse primario conferre infirmo robur contra tentationes daemonis; secundario auferre reliquias peccatorum, remittere debitum poenae (non vero totum, ut ait D. Th. *suppl.* q. 30, art. 1), et conferre sanitatem, quando saluti animae expedierit: 3. In-

firmum de morte periclitantem solum posse ungi, et quidem pluries, si pluries de vita periclitetur; non vero in eadem infirmitate, nisi infirmus de mortis periculo exierit, et postea in idem periculum reincidat: 4. Materiam remotam esse oleum olivarum, quod debet esse specialiter benedictum ab episcopo de necessitate praecepti; imo etiam de necessitate sacramenti, uti constat ex declar. Pauli V. Gregorii XVI. et Pii IX. 10. jan. 1850, adeo ut inutiliter vel in extrema necessitate Sacramentum administretur cum oleo a simplici sacerdote (sine pontificia delegatione) benedicto; unde Chrisma, aut oleum catechumenorum non potest esse materia hujus sacramenti, nisi in casu necessitatis et sub conditione: 5. Materiam proximam esse unctionem quinque sensuum. Geminam vero unctionem adhibere in geminis partibus, v. g. in utroque oculo, aure, etc. non est de necessitate sacramenti; unde sufficit, stante necessitate, ut ungatur unus oculus, auris, etc: nec unam tantum unctionem adhibendo ministrare licet hoc sacram., nisi necessitate urgente et sub conditione; et tunc consultius esset ungere frontem exprimendo: *Per istam s. unctionem etc. quidquid deliquisti per omnes sensus.* Ligor. lib. VI. n. 710. Unctio autem renum, ut ait Rituale, *in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur; atque etiam in viris quando infirmus commode moveri non potest*: 6. Formam vero esse verba, quae in unctione proferuntur, nempe: *Per istam s. unctionem etc.*: 7. Tandem patet ministrum esse sacerdotem.

At religiosi praesumentes extra necessitatem Viaticum, aut extremam Unctionem ministrare absque Parochi licentia incidunt in excom. Pontifici reservatam. Cas. XIV. *Ap. S.*

Hoc sacram. est quasi consummativum sacramenti Poenitentiae. Pueris idcirco, qui ad usum rationis nondum pervenerunt, et perpetuo amentibus non potest administrari; quia his administrari non debet Poenitentiae sacramentum.

De Sacramento Ordinis.

Ordo sacer, seu sacra Ordinatio definitur: *Ritus sacer seu Sacramentum novae Legis a Christo Domino institutum, quo traditur ordinato potestas spiritualis relate ad Eucharistiam.* Ordines in Ecclesia latina sunt septem: *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus,* et *Ostiariatus.*

Presbyteratus est dogma fidei esse Sacramentum. Diaconatus est certum, sed non de fide, quod sit Sacramentum. De Subdiaconatu et aliis quatuor ordinibus quaestio est.

Materia subdiaconatus et quatuor minorum ordinum sunt porrectio instrumentorum: forma sunt verba ab Episcopo prolata in eorum porrectione. Aliorum ordinum materia est manuum Episcopi impositio, et verba ab eo prolata manus imponendo constituunt formam.

Minister *ordinarius* ex Trid. est solus Episcopus: *extraordinarius* quaestio: *legitimus* est, qui ordinariam aut delegatam habet in ordinandum auctoritatem.

Effectus sunt gratia sanctificans, et character.

Ad validitatem ordinationis in subjecto requiritur, ut sit mas, baptizatus, viator, et intentionem habeat saltem habitualem suscipiendi ordinem.

Ad liceitatem vero requiritur: 1. Divina vocatio; cujus signa sunt scientia conveniens, recta intentio, et probitas vitae: 2. Titulus sustentationis, qui est vel paupertatis monasticae, vel beneficii, vel patrimonii: 3. Confirmatio: 4. Aetas legitima: 5. Animus clericandi: 6. Ordinatio per gradus: 7. Immunitas a quocunque canonico impedimento: 8. Exercitium ordinis anterioris: 9. denique Interstitia, tempus, locus, *Communio*, et legitimus Episcopus.

Unde *suspensionem Papae reservatam* incurrunt ex Constitutione Pii IX. *Apost. Sedis.*

1. Conventus aut Capitula, recipientes ad regimen ip-

sorum Praelatum aut Episcopum, antequam Litteras Apostolicas exhibuerint. (Susp. a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis) Cas. I.

2. Episcopi ordinantes aliquem absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. (a collatione Ordinum per triennium). Cas. II.

3. Ordinantes non subditum absque dimissorialibus, aut subditum alibi sufficienter commoratum absque litteris testimonialibus. (per annum ab Ordinum administratione). Cas. III.

4. Ordinantes in Sacris Religiosum non professum, vel Clericum in aliqua Congregatione viventem, absque titulo aut privilegio. (a coll. Ord. per annum.) Cas. IV.

5. Clerici saeculares ordinati in urbe Romae absque conditionibus ibi requisitis. (susp. ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis.) Episcopi vero eos ordinantes ab usu Pontificalium per annum. Cas. VII.

Suspensionem jure Episcopo reservatam incurrunt *ex Tridentino* confirmatam a Pio IX.

1. Suscipientes ordinem ab Episcopo alieno sine *dimissorialibus* proprii Episcopi: aut a proprio Episcopo extra dioecesim sine Ordinarii loci licentia. Sess. VI, cap. 5. de Reform.

Item ordinati ab alieno Episcopo, etsi cum privilegio S. Pontificis, absque litteris *testimonialibus* sui Ordinarii. (a susceptorum Ord. executione arbitrio proprii Ordinarii). Sess. XXIII, cap. 8. Avanzini.

2. Clerici non arctati ratione beneficii Ordinem majorem recipientes infra annum Sedis vacantis, etiam cum licentia Capituli. (ad beneplacitum futuri Praelati) Sess. VII, cap. 10.

3. Ordinati per saltum, cum quibus, si non ministraverint, justa de causa potest Episcopus dispensare. Sess. XXIII, cap. 14. Si vero ministraverint, facti sunt irregulares, et indigent dispensatione apostolica. Avanzini.

Censurae *nemini reservatae* subjacent *ex Tridentino*:

1. Episcopi pontificalia exercentes in alterius Dioecesi.

sine Ordinarii licentia, ab exercitio Pontificalium sunt jure ipso suspensi. Sess. VI, cap. 5.

2. Abbates et alii quicunque, dimissorias sibi non subditis concedentes, ab officio et beneficio sunt ipso jure per annum suspensi. Sess. XXIII, cap. 10.

3. Capitulum, respective Vicarius Capitularis, si infra annum Sedis vacantis, dimissorias concedit Clerico non arctato ratione beneficii recepti vel recipiendi, ecclesiastico subjacet interdicto. Sess. VII, cap. 10.

Adde his, quod ex Constit. Pii IX. *Romanus Pontifex*, edita V. Kalendas Sept. 1873. Canonici ac Dignitates Cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui ausi fuerint concedere et transferre Ecclesiae vacantis curam, regimen, et administrationem sub quovis titulo, nomine, aut quaesito colore in nominatum et praesentatum a laica potestate ex S. Sedis concessione seu privilegio, vel, ubi consuetudo viget, ex Capitularibus ipsis electum ad eandem vacantem Ecclesiam, ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum, incidunt eo ipso in excommunicationem, et in privationem fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcunque, aliorumque redditiuum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, Rom. Pontifici *specialiter* reservatas.

In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati, praesentati, vel ut supra electi ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen, et administrationem suscipere audent sub nomine Provisoris, Vicarii generalis, aliove nomine, ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis, aliisque, qui deficientibus Capitulis, Vicarios deputant aut vacantes Ecclesias legitime administrant: nec non ii, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cujusque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint.

Qui vero ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam.

Denique adverte 1. quod omnes, qui, suffragante populo, ad Parochi sive vicarii officium electi audeant sive Ecclesiae, sive jurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sum. Pont. spec. modo reservatam, uti *usurpantes* etc. commemorati in cas. XI. Const. *Ap. Sedis*. prout eruitur ex dec. S. C. C. 23 maji 1874. praeter alias poenas canonicas pro Helvetica foederatione et ecclesiasticis Provinciis Veneta ac Mediolanensi (1).

---

(1) Catholicis autem prohibetur communicare in divinis cum intruso: quare ex S. Sedis praescripto sub gravi:

1. Non licet parochum intrusum adire pro administratione baptismatis, nisi in casu extremae necessitatis, in quo non sit alius valens baptizare; neque licet fungi officio patrini, si forte intrusus baptizet.

2. Non licet diebus etiam festivis audire Missam intrusi, etsi alia desit; neque concioni aliisque functionibus intrusi interesse, vel alia ab eo officii ministeria petere; vel ipsi Missam celebrandam tribuere.

3. Non licet Communionem, etiam tempore paschali, ab intruso suscipere; nec ab ipso absolutionem petere, etiam in articulo vel periculo mortis, nisi deficiente quovis alio Sacerdote catholico, amoto scandalo, et urgente tunc necessitate.

4. Etsi genuflectendum sit coram Hostiis consecratis ab intruso, curandum tamen est, ut declinetur occursus intrusi, dum Sacramentum defert; ne in hoc cultu praestando immisceri videantur catholici cum schismaticis. Et licet Sacerdoti catholico, etsi non jejuno, Hostias a Sacerdotibus catholicis consecratas consumere; ne veniant in manus intrusi, si reverenter conservari nequeant.

5. Non licet adire parochum intrusum pro contractione matrimonii: unde si nullo modo haberi potest legitimus parochus vel alius catholicus presbyter cum delegatione, fideles debent contrahere coram testibus tantum et sine praesentia pastoris.

6. Nec licet mulieribus, puerperio expleto, recipere ab intrusis benedictionem, quae dari solet post partum.

7. Si intrusus ad ecclesiam cadavera deferat, non licet funus comitari, nec sacras preces recitare, aliosque Ecclesiae ritus cum illo socialiter agere; nam defunctorum exequiae a legitimo pastore sunt celebrandae, etiam in domibus privatis, si aliter fieri nequeant. Scavini edit. XII. lib. IV. n. 566.

2. quod in D. N. praesentantes falsum, fictum, fiduciarium, aut fraudulentum patrimonium pro ordinibus suscipiendis; et constituentes, consulentes, atque cooperantes incidunt in excomm. Ord. reserv. Clerici vero praesentantes incidunt etiam in suspensionem ab exercitio Ordinum susceptorum Ordinario *specialiter* reserv. C. VI.

Ubi commodum notare refert, quod *falsum vel fictum* patrimonium habetur, quando per aliquam scripturam legalem constitutum apparet, sed revera non existit. *Fiduciarium*, quando assignatur clerico cum pacto illud restituendi post ordines susceptos; vel etiam ut clericus habeat patrimonii nomen, et alius, puta ipse assignans, percipiat fructus.

Si quis autem beneficium aut pensionem, ad cujus titulum fuit ordinatus, resignet, alienet, extinguat, non subrogato alio titulo de Ordinarii licentia, ipso facto incidit in suspen. ab exercitio ordinis nem. reser. ex nostra Synodo. Sed alienatio patrimonii nulli poenae est obnoxia.

Cum de Sacramento Matrimonii satis dictum est suo loco, heic pro Parochorum commodo pauca adduntur; et primum

De Matrimonio conscientiae et in extremis.

Matrimonium *conscientiae*, seu secretum, est illud, quod, omissis denuntiationibus, contrahitur coram parocho et duobus testibus fidelissimis ea lege, ut non reveletur.

Benedictus XIV. in bulla *Satis vobis* facultatem tribuit solis Episcopis hanc licentiam dandi sub istis conditionibus: 1.° ut adsit urgentissima causa, puta, si vir et mulier in occulto concubinatu vivant, neque ulla suspicio sit: 2.° ut omnino constet nullo ligari impedimento partes, quae tenebuntur intra dies triginta prolem natam ac baptizatam denuntiare Episcopo; secus in gratiam filiorum publicatur matrimonium: 3.° ut in cancellaria episcopali liber retineatur sigillo clausus, ubi talia matrimonia describuntur; et alio simili libro proles inde nata adnotabitur. Qui libri vero omnem merentur fidem,

Matrimonium *in extremis* dicitur illud, quod celebratur in periculo mortis ad damnum vel scandalum reparandum.

Parochus, ut assistat hujusmodi matrimonio, petere debet licentiam ab Ordinario, si tempus suppetat—Regulae practicae ad ejus celebrationem sunt: 1.° ut Parochus exigat juramentum a contrahentibus se nullo canonico impedimento esse irretitos: 2.° ut recipiat juratam depositionem saltem duorum testium de statu libero contrahentium: 3.° ut canonicas denuntiationes ante vel post (prout fert augustia temporis) faciat in ecclesia; et imponat moribundo, quod, si convalescat, matrimonium non consummet, nisi prius adimpletae fuerint omissae solemnitates: 4.° ut his peractis matrimonium contrahat coram testibus, et de omnibus fidem exhibeat Ordinario: 5.° ut, si in inquisitione aliquod occultum impedimentum detegat, nec facilis sit ad Episcopum recursus, tunc declaret illud in casu non obstare, et etiam contrahat, postea vero ad Ordinarium recurrat.

Impedimenta dirimentia ex jure civili Italico.

I. *Amentia*; nempe semel ac amens interdictus est, non valet ejus matrimonium, etsi habeat lucida intervalla. art. 61 et 112.

II. *Defectus parentum consensus* (vel eorum, qui parentum vices gerunt) si filius nondum complevit annum 25 et filia 21. art. 63.

III. *Error et vis;* attamen: « Non est amplius admittenda petitio nullitatis... si adfuit cohabitatio continua per mensem postquam sponsus recuperavit suam plenam libertatem, vel cognovit errorem ». a. 105. 106.

IV. *Cognatio naturalis* et *affinitas:* « In linea recta matrimonium interdicitur inter omnes ascendentes et descendentes legitimos vel naturales, atque affines ejusdem lineae. (a. 58) — In linea collaterali matrimonium interdicitur: 1. Inter sorores et fratres legitimos aut naturales: 2. Inter affines in eodem gradu: 3. Inter patruum vel avunculum et neptem, amitam vel materteram et nepotem ».a. 59.

V. *Crimen;* « Qui in judicio criminali convictus est reus aut complex homicidii voluntarii admissi, *mancati* vel *ten-*

lati super persona unius conjugum, non potest jungi in matrimonio cum altero conjuge ». a. 62.

VI. *Ligamen*: « Non potest inire alias nuptias, qui est ligatus matrimonio praecedente ». a. 56.

VII. *Ætas*: « Requiruntur anni 18 completi pro viro; 15 completi pro femina ». a. 55; — Attamen: « Matrimonium contractum a personis quarum vel una tantum non pervenerit ad aetatem statutam, non poterit amplius oppugnari: 1. Quando praeterierint sex menses post completam aetatem requisitam: 2. Quando sponsa, etiamsi eam aetatem non assecuta, conceperit ». a. 110.

VIII. *Impotentia*; nam: « Impotentia evidens et perpetua, quando fuerit antecedens matrimonium, potest proponi uti causa nullitatis ab altero conjuge ». a. 107.

IX. *Cognatio legalis*: « Matrimonium est interdictum inter adoptantem et adoptatum ejusque descendentes; inter filios adoptivos ejusdem personae; inter adoptatum et filios supervenientes adoptantis; inter adoptatum et conjugem adoptantis, et inter adoptantem et conjugem adoptati ». a. 60.

TRACTATUS DE MONIALIBUS

DEPROMPTUS

EX DOCTRINIS D. ALPH. DE LIGOR., CL. CAN. DE COSTANZO, ET ALIORUM THEOLOGORUM.

De statu religioso, de professione, et de dote.

Q. *Quomodo definitur hic status?*

R. Status fidelium ad perfectionem tendentium, editis votis paupertatis, castitatis, et obedientiae in stabili et communi modo vivendi, ab ecclesia adprobatus (1).

Q. *Quid est professio religiosa?*

R. Est solemnis emissio trium votorum in manu superioris, in religione adprobata (2).

---

(1) Ad statum religiosum est de essentia adprobatio Ecclesiae, quae fieri debet a Papa, uti statuit Conc. Later. sub Innoc. III.

Utrum sint de essentia vota solemnia, vel sufficiant etiam vota simplicia, quaestio. In societate Jesu tamen certum est esse veros religiosos, ut declaravit Greg. XIII, eos, qui post biennium probationis emittunt vota simplicia: sed sciendum, quod istorum votum castitatis, licet sit simplex, est impedimentum dirimens ex privilegio, donec manserint in religione.

Adverte. Votum solemne specie idem est ac simplex. Solemne tamen ex Ecclesiae instituto differt quod ad aliquos effectus: votum simplex castitatis impedit matrimonium, solemne dirimit: votum solemne paupertatis privat voventem omni dominio; non ita votum simplex. Insuper vota solemnia rarius et difficilius solvuntur a Papa, non sic vota simplicia.

(2) Haec dicitur professio expressa. Esset autem professio tacita,

Q. *Quaenam requiruntur ad validitatem professionis?*

R. Praeter vocationem divinam, quae semper in omni statu requiritur, ut professio sit valida exigitur: 1. aptitudo voventis (1); 2. consensus praelati et capituli, saltem majoris partis; 3. ut professio sit libera ab omni metu gravi (2).

Q. *Si professio fuit nulla, obligatne saltem uti votum simplex?*

R. Si fuit nulla defectu aetatis vel anni probationis, minime ex Trid. Idem dicendum, si nulla ob metum gravem. Si vero ob alias causas, quaestio (3).

Q. *Renuntiatio a novitia bonorum suorum quomodo fieri debet, et quando habet suos effectus juxta Trident.?*

R. Fieri debet cum licentia episcopi, et intra duos menses proximos professioni, ut habeat suum effectum, secuta professione; secus est nulla, licet jurata.

Q. *Estne solvenda dos in professione?*

R. Maxime ex variis decretis S. C. (4).

---

si monialis, expleto novitiatu et anno 17 aetatis, sponte induceret se habitu speciali professarum, earumque officia exerceret; et sic per triduum se gereret animo profitendi, et consentiente superiore.

(1) Ad hanc conditionem pertinet, ut puella: 1. habeat 16 annos completos; 2. expleverit annum probationis cum habitu religioso; 3. ut nullum habeat impedimentum, quod per statuta pontificia sit fortasse substantiale in aliquo ordine.

(2) Ideo episcopus, etiam in monasteriis exemptis, explorare debet voluntatem puellae, et abbatissa sub poena suspensionis ad arbitrium episcopi debet per mensem ante professionem illum certiorem reddere de die professionis emittendae.

Injuste impedientes vel cogentes puellam ad professionem emittendam, incidunt in excomm. nemini reservatam ex Trid.

Expleto anno probationis, potest episcopus, stante causa, differre professionem.

(3) Ex Trid. conceditur quinquennium ad reclamandum de nullitate professionis.

(4) Dos taxanda est ab episcopo cum intelligentia monasterii. Non possunt eam alienare moniales, sed impendenda est in emptione alicujus fundi frugiferi. Translata moniali ex uno in aliud monasterium,

De voto paupertatis.

Q. *Ad quid tenetur monialis ex hoc voto?*

R. Ad nullam habendam proprietatem bonorum temporalium sive immobilium, sive etiam mobilium: horum tamen usu, cum debita superioris licentia, non privatur.

Q. *Quibus modis potest monialis violare hoc votum?*

R. 1. Vel male acquirendo (1); 2. vel male possidendo (2); 3. vel male utendo (3).

---

non est huic secundo transferenda dos priori tradita; excipe, si secundum monasterium cogatur admittere monialem.

Moniales non possunt pro suo arbitrio admittere choristam sine dote.

(1) Male acquirit monialis, si suscipit bona monasterii, et quidem graviter, si in quantitate, quae sit notabilis, spectatis circumstantiis, judicio viri prudentis, etiamsi hoc faciat per plura furtula, quae coalescant. Et si damnum attulit monasterio, teneretur ad restitutionem, si posset, ex suo livello.

Male acquirit etiam, si aliquid accipit ab aliis, etiam titulo mutui, sine debita licentia expressa vel tacita, vel saltem prudenter praesumpta: *Ad agendum enim contra votum requiritur quod religiosus agat nomine proprio et independenter a voluntate superioris. Non autem agit nomine proprio et independenter, qui accipit ex consensu praelati prudenter interpretato, quia tunc vere cum dependentia agit.* Verba sunt D. Lig. IV. 18.

Si vero accipit aliquam rem ad custodiendam dumtaxat, non peccat contra paupertatem, quia ipsa nihil accipit.

(2) Nempe, vel quando sine licentia detinet aliquid praetio aestimabile; vel etiam cum licentia, sed cum tali affectu, ac si esset suae proprietatis; vel quando habet bona mobilia superflua, etiam permittente superiore, qui hanc licentiam ex Trid. dare non potest.

(3) Male utitur, si rebus sibi ad usum concessis utitur ad usum illicitum; vel quando eas culpabiliter destruit aut amittit; vel quando eas sine debita licentia alienat.

Adverte: si moniali certa quantitas assignata est a monasterio, et nec monasterium tenetur ei aliud praestare, nec ipsa reddere rationem, potest, parcius vivendo, aliquid alicui donare, quia praesumitur consensus superioris; ita D. Ligor. Magis hoc potest, si det suis consanguineis pauperibus. Consule de Alexandris app. ad. c. IV. Si enim

Q. *Estne licitum moniali habere peculium, livellum, aut vitalitium?*

R. Maxime ex recepta consuetudine, sed his conditionibus: 1. ut habeat illud dependenter a voluntate superioris; 2. ut sit parata illud consignare ad nutum superioris; 3. ut eo utatur cum debita licentia ad usus necessarios vel utiles; 4. ut sit moderatum; 5. ut conservetur penes aerarium commune (1).

Q. *Quam quantitatem expendendi potest abbatissa concedere moniali?*

R. Varii varia dicunt. Hæc quantitas definienda videtur judicio viri prudentis, spectatis circumstantiis.

De voto obedientiae.

Q. *Ad quid tenetur monialis ex hoc voto?*

R. Tenetur ad observanda praecepta regulae, et ad ea, quae superiores praecipiunt secundum regulam (2). Supe-

potest ex licentia praesumpta facere moderatas eleemosynas extraneis, multo magis hoc potest erga consanguineos pauperes.

Adverte etiam: si monialis violat votum paupertatis habendo vel retinendo aliquid nomine proprio, incidit in privationem vocis activae et passivae per biennium ipso facto ex Trid., et in privationem ecclesiasticae sepulturae. Si vero violat donando aliquid notabile donatione prorsus gratuita, et sine superioris licentia, incidit in privationem dignitatum et officiorum, et in privationem vocis activae et passivae: recipientes haec dona incidunt in casum Papae reservatum, uti dictum est in *Tract. poenit.*

(1) Adverte: 1. monialis non potest cedere fructum sui livelli suis consanguineis, nisi de licentia S. Congr.; 2. monialis non potest pecuniam sui livelli tradere monasterio cum pacto, ut monasterium solvat, vita sua durante, aliquam pensionem: ita ex decr. S. C.

(2) Hinc si superior aliquid praecipit vel supra, vel praeter, vel contra regulam, non tenetur exequi ex voto. Quando vero praecipit juxta regulam, non obediens committit duo peccata, unum contra votum, aliud contra virtutem obedientiae: alii vero dicunt unum solum esse peccatum.

Adverte, quod si superior praecipiat *in virtute S. Obedientiae*, vel *in Nomine D. N. J. C.*, tenetur religiosa sub gravi: sub veniali au-

riores, quibus monialis subjicitur ex voto, sunt Papa, ordinarius, abbatissa.

Q. *Tenenturne moniales obedire praelato, si ab eo obligentur ad observantiam regulae juxta pristinum institutum, quae jam ex longaeva consuetudine relaxata erat?*

R. Si haec reformatio est necessaria ad ordinis conservationem, et ad vota essentialia observanda, in hoc casu non adest quaestio inter Doctores, quod teneantur.

Q. *Abbatissa potestne dispensare in regulis?*

R. Non potest, nisi ex commissione superioris, quae praesumitur ei facta statim, ac fuit electa in abbatissam. Ligor. lib. IV, n. 61. Ex potestate dominativa potest etiam vota simplicia suarum irritare.

De voto castitatis, et de clausura.

Q. *Ad quid tenetur monialis ex hoc voto?*

R. Ad se abstinendam ab omni voluntaria delectatione venerea interna et externa. Hinc quomodocunque violat castitatem cogitatione, locutione, vel opere, peccat non solum peccato luxuriae, sed etiam sacrilegii.

Q. *De quo jure servanda est clausura?*

R. De jure ecclesiastico. Eam violare est grave peccatum. Instituta est ad custodiam castitatis (1).

Q. *Adsunt casus, in quibus licitum est monialibus e claustro exire?*

---

tem, vel sub nullo etiam quandoque, si alia forma utatur. Ligor. lib. IV. n. 38.

(1) Clausura est illud spatium, intra quod extraneis ingredi non licet, et extra quod moniales egredi non possunt. Hinc si monialis exit e confinibus clausurae, licet per breve spatium, quale esset spatium unius pedis, violat clausuram, dummodo tamen toto corpore exeat. Si vero in ostio clausurae sistens unum pedem efferat extra clausuram, altero intra retento, non incidit in crimen violatae clausurae, quia non exit a clausura toto corpore. Si ascendit super tectum monasterii, distinguendum est: si murus clausurae supergreditur tectum, non violat clausuram; secus violat.

R. S. Pius V exprimit tres casus, nempe incendii, epidemiae, et leprae. Communissime autem Doctores et consuetudo hanc facultatem extendunt ad casus consimiles, v. g. si adest inundatio fluminis, invasio militum, periculum ruinae monasterii, etc. In his urgentibus casibus licitum est monialibus egredi e claustro cum licentia episcopi, si monasterium subjectum est episcopo: si subjectum est Papae, etiam cum licentia episcopi, tamquam Papae delegati: si subjectum est regularibus, cum licentia superioris, et episcopi etiam, si ita adsit consuetudo. Ligor. VII. 224 (1). Extra hos casus requiritur licentia Pontificis.

Q. *Cum clausura violari possit per egressum et per ingressum, quaenam sunt poenae contra eam violantes per egressum?*

R. Adest excomm. Papae reservata, quae complectitur tantum monialem sine debita licentia exeuntem extra casus ac formam a S. Pio V. praescriptam. Cas. VI. Ap. S. (2).

Insuper tam monialis, quam permittentes incidunt in privationem et inhabilitatem dignitatum et officiorum. Haec secunda poena non est reservata Pontifici, sed potest episcopus dispensare.

---

(1) Si tamen periculum graviter urgeat, et periculum sit in mora, non peccant, si exeunt sine licentia, quae tunc praesumitur; quia in hoc urgenti discrimine praevalet jus naturae. Vide Ligor. Statim cessata causa legitimi egressus, in monasterium regredi tenentur.

(2) Ab hac excom. juxta D. Lig. VII. 88. non poterat Episcopus absolvere neque ob impedimentum perpetuum, neque si delictum erat occultum, nisi in mortis articulo; quippe quae Papae specialiter reservata. At nunc non ita (vid. app. XV. in comm. Avanzini) post Const. *Ap. S.* quae illam recenset inter censuras R. P. simpliciter reservatas. Verumtamen haec censura absolvi potest etiam virtute Bullae Cruciatae, uti declaravit Eminentissimus Commissarius Zurolo. Vide C. Vella.

Forma autem licentiae haec est, ut infirmitas, *praeter alios ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumbit, etiam per Ordinarium cognita et expresse in scriptis approbata sit.* Ita S. Pius V.

Q, *Quaenam sunt poenae contra violantes clausuram monialium per ingressum?*

R. Violantes clausuram Monialium, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia, et etiam absque malo fine ingrediendo: pariterque eos introducentes, vel admittentes incurrunt excom. Papae reserv. ex Const. *Apost. Sedis*. Cas. VI (1).

---

(1) Hic adverte: I. Episcopi causa s. Visitationis vel alterius casus necessitatis ingredientes clausuram, secum ducere possunt paucas personas, puta quatuor vel quinque, seniores et probatas. Superior regularis, si est generalis, potest secum ducere duos religiosos probatos; si alius a generali, unum: et insuper debent assistere quatuor moniales ex senioribus.

II. Confessarius potest cum licentia ingredi ad ministranda sacramenta infirmis, et ad commendandam animam.

III. Medici cum licentia possunt ingredi, stante causa.

IV. Aliae personae, stante licentia particulari, possunt ingredi.

V. Finito negotio, qui cum licentia ingressus est clausuram, debet egredi; secus peccat graviter, si per tempus notabile commoratur (quadrans horae non reputatur tempus notabile): in excomm. vero non incidit, quia ingressus est non violando clausuram.

VI. Ad licentiam concedendam ab episcopo, vel a praelato regulari, ut quis ingrediatur clausuram, requiritur necessitas vel utilitas monasterii, non vero ut *sit in scriptis*, uti patet ex dicta Const. Pii IX. *Ap. Sedis*.

VII. Pueris, et puellis ante septennium, et perpetuo amentibus nunquam permittendus ingressus in clausuram ex decretis S. C.; secus peccant qui admittunt et introducunt, et incidunt in excomm. Papae reser. ex dicta Constitutione.

Mulieres vero violantes Regularium virorum clausuram, et superiores aliive eas admittentes incurrunt etiam excom. Pont. reser. Cas VII. *Ap. S.* Excipe ex consuetudine, quando in claustris Missae et alia divina officia celebrantur, processiones fiunt, cadavera sepeliuntur; vel ob magnum populi concursum ad eorum Ecclesiam, ita ut mulieres commode ingredi non possint et egredi per portas Ecclesiae, quia tunc permittitur per portam claustri. Avanzini.

De aliis monialium obligationibus.

Q. *Quaenam sunt istae?*

R. Tenentur 1. tendere ad perfectionem (1); 2. ad horas canonicas (2); 3. ad frequentanda sacramenta, saltem singulis mensibus ex consilio, uti habetur ex Trident.: 4. ad ferendum habitum religionis (3).

De velo.

Q. *Quotuplex est velum, quod dari solet monialibus?*

R. Triplex: nempe, velum probationis, quod datur novitiis; velum professionis, quod datur professis; et velum consecrationis (4).

Q. *Quaenam requiruntur, ut monialis licite accipiat velum consecrationis?*

---

(1) Non tenetur monialis esse perfecta, sed tendere ad perfectionem, seu aspirare ad illam assequendam per observantiam regulae et trium votorum. Haec est obligatio gravis, contra quam graviter peccaret, si regulas, etiam ad culpam non obligantes, transgrediatur ex contemptu formali, vel quia vanas et inutiles reputaret, vel quando eas non servando grave scandalum communitati praeberet. Religiosa vero statuens servare tantum mandata, quae obligant sub gravi, et non servare illa, quae obligant sub levi, communius et probabilius excusatur a culpa gravi, quia volens servare ea, quae respectu aliorum sunt mera consilia, respectu sui sunt praecepta, jam tendit ad perfectionem. Ligor. lib. IV, n. 11.

(2) Choristae ex consuetudine sub gravi tenentur in choro persolvere horas canonicas, et quae choro ex legitima causa non intersunt, privatim recitare debent horas canonicas; non vero alia officia, quae quandoque recitari solent pro benefactoribus, vel ex devotione in choro; ista enim obligant chorum tantum.

Non choristae tenentur recitare aliquas preces ex regula, quae non solet obligare sub gravi.

(3) Monialis deponens habitum, si hoc facit temere, et ad occultandum suum statum, peccat graviter, sed in nullam poenam incidit.

(4) Antiquitus dabatur velum ordinationis monialibus diaconissis: velum praelationis abbatissis: velum continentiae viduis professis.

R. Ut sit professa; ut non sit ex ordine mendicantium; ut expleverit annum 25; et ut sit virgo (1).

Q. *A quo debet imponi hoc velum?*

R. Ab episcopo.

De electione abbatissae.

Q. *Quaenam requiruntur in moniali, ut possit promoveri ad officium abbatissae?*

R. Non debet esse illegitima, neque vidua, neque coeca, neque surda: debet habere 40 annos aetatis, et 8 annos professionis; vel saltem, si talis non adsit in monasterio, 30 annos aetatis, et 5 professionis ex Trident. (2): ut eligatur a majori parte capituli per vota secreta, et non ultra triennium; secus electio est nulla (3).

Q. *A quibus est eligenda et confirmanda abbatissa?*

R. De jure communi electio abbatissae pertinet ad moniales choristas professas (4); confirmatio ad superiorem (5).

---

(1) Si aliquando pollutionem voluntariam commisit, sed non amisit virginitatem, potest velum accipere. Potest etiam, si fuit per vim oppressa, et ipsa nullo modo delectationi consensit, dummodo factum sit occultum. Si vero adfuit consensus, non potest sine peccato petere velum; quod si illi offeratur, et sine scandalo vel sui diffamatione recusare non possit, potest accipere.

(2) Si nec etiam talis adsit in monasterio, eligenda est alia ex alieno monasterio ejusdem ordinis, vel etiam ex alio ordine, et in hoc casu requiritur assensus S. C.

(3) Abbatissa, elapso triennio sui muneris, carere debet per aliud triennium omni officio, quod auctoritatem habet, ex dec. Gregorii XIII.

(4) Si aliqua monialis est infirma, ejus votum suscipiendum est vel scriptum (sigillo munitum), vel per duas alias religiosas a superiore electas.

Si electio ob discordiam non compleatur, non potest praelatus praesidens dare suum suffragium, sed potest praefigere tempus ad electionem, quo elapso, ipse abbatissam deputabit ex decr. S. C.

(5) Superior, qui praeesse debet capitulo, et illud confirmare, est episcopus: in monasteriis regularibus subjectis est superior regularis una cum episcopo; sed ad superiorem regularem solum pertinet confirmatio.

Nequit abbatissa exercere suum officium ante confirmationem

De educandis, et novitiis.

Q. *Possuntne libere recipi puellae pro educatione?*

R. Minime, sed tantum in illis monasteriis, ubi adsit haec consuetudo, et praevia licentia S. Congr.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur?*

R. Variae: ut expleverint annum septimum, et non sint majores 25 annis; ut adsit consensus superioris, et monialium per secreta suffragia; ut habeant locum separatum a monialibus tam pro laboribus manualibus, quam pro dormitione; ut habeat quaelibet separatum lectum; et tandem ut recipiatur sola, et sine ancilla.

Q. *Tenentur ad clausuram?*

R. Maxime: si vero exeunt sine licentia, non incidunt in excommunicationem.

Q. *Quando sunt dimittendae?*

R. Si sint energumenae, vel gravidae; si non solvant alimenta singulis semestribus anticipate; si velint nubere, et jam inita sint sponsalia (1).

Q. *Educanda, si est in periculo vitae, potest condere testamentum?*

R. Maxime; et Ordinarius debet notario et testibus permittere ingressum in clausuram.

Q. *Quaenam aetas requiritur pro ingressu in novitiatum?*

R. Saltem 15 annorum. A die susceptionis habitus cum consensu superioris et monialium in novitiatu computatur annus probationis, qui debet esse integer, et non interruptus (2).

---

(1) Sponsalia nunquam celebrari possunt ad crates monasterii. Abbatissa si permittat, deponitur ab officio, et privatur voce activa et passiva.

(2) Hinc si causa infirmitatis novitia exit a monasterio, convalescens debet denuo incipere novitiatum.

Si existens in periculo mortis, velit novitia emittere professionem, potest; verum convalescens debet, completo anno suae probationis, denuo profiteri.

Q. *Cogentes aliquam puellam ad suscipiendum habitum religiosum, in quam poenam incidunt?*

R. In excomm. nemini reservatam ex Trid. (1).

De confessariis monialium.

Q. *Indigentne confessarii speciali adprobatione ad audiendas earum confessiones?*

R. Maxime: immo adprobatus pro uno monasterio, vel pro una moniali, non censetur adprobatus pro alio monasterio, vel pro alia moniali (2).

Q. *Quid de confessariis ordinariis et extraordinariis?*

R. Episcopi singulis trienniis deputare debent cuique monasterio suum confessarium, qui elapso triennio non potest, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, ultra confessiones excipere, nisi adsit licentia sacrae Congr. Debent etiam episcopi dare duabus, vel tribus vicibus in quolibet anno confessarium extraordinarium, cui omnibus monialibus adest obligatio se praesentandi, et libera facultas confitendi (3). Possunt episcopi concedere quoque confessarium extraordinarium alicui moniali particulari.

Q. *Quaenam servanda sunt a confessario ingrediente ad ministranda sacramenta?*

---

(1) In hanc excom. dicunt aliqui etiam incidere eos, qui cogunt puellam puberem sine justa causa, ut sit educanda in monasterio; alii negant.

(2) Praelati regulares, generales vel provinciales, non indigent adprobatione episcopi pro excipiendis confessionibus monialium, quae sunt sibi subjectae, quia sunt earum ordinarii.

(3) Licet haec cauta sint pro clausuris, Clemens XI hortatur episcopos, ut hanc disciplinam servent etiam pro conservatoriis.

Ita etiam alia, quae in hoc tractatu exposita sunt circa disciplinam, et obligationes monialium, cum debita proportione, et quantum fieri potest, dicenda videntur, vel dicenda desiderantur de oblatis cum votis simplicibus, vel etiam sine votis simplicibus in conservatoriis, et de educandis in eis degentibus; sicut et de modo quo se gerere debeat confessarius cum hujusmodi oblatis, et educandis.

R. Debent illum comitari duae moniales seniores: debet ingredi solus, si est sacerdos saecularis; si regularis, cum socio maturae aetatis et probatae vitae (ut decrevit Alex. VII) qui confessarium semper videat, et ab eo videri possit: cellae janua debet remanere aperta, ita tamen, ut concomitantes confessarium videant, confessionem non audiant: absque diverticulo eat et redeat, nec ad aliam monasterii partem divagetur. In aliquibus locis adest etiam laudabilis consuetudo, ut semper sit indutus superpelliceo et stola.

Q. *Adsuntne casus in D. N. reservati relate ad Moniales?*

R. Maxime, et sunt: 1.° Excommunicatio Ordinario *specialiter* reservata jussu Innocentii XI, quam contrahunt personae omnes, sive laici sint sive ecclesiastici, quarum opera ad Ecclesias Monialium ac Regularium praetextu cujuscunque solemnitatis et functionis invitationes fiunt: 2.° Casus Ord. *specialiter* reservatus sine censura, in quem incidunt Moniales, etiam in Conservatoriis et Oblatarum domibus degentes, quae occasione officiorum faciunt expensas *de proprio*, vel ante vel post suscepta officia, uti ex mandato Clementis XI: 3°. Excommunicatio contra loquentes sine licentia Ordinarii vel ejus Vicarii cum aliqua in monasteriis commorante, C. V; quae excom. si incurratur per locutionem de rebus indifferentibus est Ord. *generaliter* reser: si de obscoenis, *specialiter*; ideoque nunquam intelligitur concessa talis facultas, nisi facta fuerit expressa mentio de ea (1). Ita ex declar. Synod. pag. 73.

---

(1) Nota, quod in locutione de indifferentibus a censura eximuntur consanguinei in 1. et 2. gradu, uti patet ex verbis casus: eximuntur mulieres: impuberes: et qui loquuntur ad breve tempus, h. e. usque ad X. verba urbanitatis gratia, juxta communiorem sententiam: qui loquitur per signa vel per literas, aut per metum gravem: qui monialem audit tantum: Episcopi alienae dioecesis, et exteri ex bul. *Gravissimo* Ben. XIV: demum Regulares, si post Bul. Greg. XV. *Inscrutabili* 5.feb. 1622. speciale privilegium habeant non posse censuris puniri ab Episcopo, nec etiam tamquam S. Sedis delegato. Lig. VII. 241. Sed inci-

TABELLA CASUUM IN DIOEC. NEAP. RESERVATORUM

AD TOTAM SIMUL LEGEM IPSIS SYNODI VERBIS PROSPICIENDAM.

Casus reservati, quibus adnexa est excommunicatio ipso facto.

1. Omnes utriusque sexus, et cujusvis status, aut dignitatis personae, quae Haereticorum cujuscunque sectae coetus adeunt, in quibus conciones, et catechismi, aut quicunque eorum ritus, praesertim a S. Catholica Romana Ecclesia damnati exercentur, quoties hujusmodi exercitiis, quovis praetextu, et occasione, etiam simplicis curiositatis, assistunt.

---

dunt in eam tantum loquentes sine licentia cum moniali, aut alia in monasterio commorante, quamvis sit de re spirituali, vel ipsa non respondente; et etiamsi loquuntur per interpositam personam, aut e loco propinquo: imo qui licentiam habens loquendi cum una *data opera et ex professo* loquitur cum aliis.

In locutione vero de obscoenis sub censura comprehenduntur omnes non solum loquentes cum commorantibus in monasteriis, sed et in Conservatoriis atque Collegiis; sicut etiam cum vel coram eisdem turpiter agentes (licet verba sint pauca, vel signum aliquod), idest consanguinei, mulieres, vagi, peregrini, gravi metu coacti, et etiam illi qui debitam licentiam obtinuerint: item agentes per litteras aut internuncios; et non solum mittentes, sed et easdem deferentes, licet in monasterio degentes, modo litterae pervenerint ad quam missae sunt; nam ad incurrendam poenam requiritur delictum completum et consummatum in genere suo.

At extra dubitationis aleam positum est, aliquos sacros feminarum recessus, vulgo dictos *Ritiri*, non comprehendi in hac casus reservatione; quia non sunt conservatoria, seu collegia.

II. Omnes personae utriusque sexus, quae vel per se, vel per alium, Sanctissimo Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, sive quacunque alia re consecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata vel instituta, quomodolibet abutantur. Omnesque utriusque sexus, qui de praedictis ad praedictos fines aliquid sumserint, vel alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abusu minime subsecuto.

III. Omnes utriusque sexus personae, quae Daemoni spondent obsequium; thus, et Sacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus. Insuper quaecunque, sive suo, sive alterius nomine, condunt, aut condere faciunt imagines, anulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo Daemonem constringant.

IV. Venefici, et Veneficae omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiae, Striges, sive quovis alio nomine nuncupentur, ex utroque sexu, qui cum expressa Daemonis invocatione, ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, sive ad inveniendos thesauros, aut ad alium finem quemcunque, utuntur incantationibus, aliisque maleficiis; sive etiam ligaturis, ut a naturali, et legitimo Matrimonii usu Conjuges avertant: aut scienter in praefatis cooperantes, aut quovis modo consentientes.

Declaramus autem ex praedictis criminibus, in supradictis II. III. et IV. Casibus contentis, excommunicationem Nobis reservatam ipso facto incurrere non solum eos, qui saepe, et ex arte hujusmodi criminibus operam dant, sed etiam eos, qui quomodocunque, etiam semel, ea perpetraverint.

V. Loquentes sine nostra, vel Vicarii nostri Monialium licentia cum Monialibus, in Monasteriis etiam exemptis, vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiam si sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibidem commoretur; conjunctis in primo, vel secundo Consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua prae-

dictarum, non possit data opera, et ex professo cum aliis loqui.

Insuper ii praesertim, qui cum aliqua ex praedictis, aut coram ipsis, tam in Monasteriis, quam Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscoenis, per verba, aut actus impudicos, praesentes egerint, absentes vero per literas, aut internuncios. Nec non viri, aut mulieres, sive intra, sive extra Monasterii, vel Conservatorii, aut Collegii claustra, ac septa, qui praedictas literas, vel mandata detulerint.

VI. Omnes in Causa Criminali, aut Civili cum gravi damno alterius falsum deponentes, aut deponendum curantes, necnon inducentes ad falsum deponendum, falsisque testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis, tam publicis quam privatis, quomodocunque utentes directe, vel indirecte, in quavis Curia Civitatis, et Dioecesis Neapolitanae. Item quicunque falsum aliquod impedimentum Matrimonii dolose objecerint; nec non consilium. vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes.

Falsificantes, etiam cum gravi damno alterius, vel corrumpentes, falso, aut quae falsum continent, conficientes Apochas, Syngraphas, vulgo *fedi di credito*, *o Polize notate in Fede*, sive Instrumenta, Processus, aut Scripturas publicas, et authenticas; aut scienter his utentes; necnon mandantes, aut cooperantes.

Similiter praesentantes falsum, fictum, aut fiduciarium Patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro prima Clericali Tonsura: nec non constituentes, consulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive cooperantes. Declaramus autem, quod Clerici praesentantes, quando ab excommunicatione absolvuntur, remanent ab exercitio susceptorum Ordinum suspensi; quam suspensionem nullus, nisi Nos personaliter, constituto reali Patrimonio et causa discussa, relaxare valeat.

Praeter hos, Actuarii, Subactuarii, Notarii, Scribae, qui cum alterius Partis offensione, aut cum Reipublicae aut legalis justitiae detrimento dolose auctam, vel diminutam

informationem capiunt, et sic dicta Testium scribunt; ac Nuncii, Cursores, aut alias nuncupati, qui in grave Tertii praejudicium falsum in acta referunt.

VII. Confessarii omnes, etiam Parochi, ad inhonesta personam quamcunque, sive in actu Confessionis, sive ante, vel post immediate, aut praetextu, vel occasione Confessionis, etiam Confessione non secuta, vel extra Confessionem in confessionalibus, sollicitantes, aut quomodolibet cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regularium vero, Censuram suspensionis ab audiendis Confessionibus, quam ipso facto incurrunt, Nobis tantummodo reservamus.

VIII. Pariter Confessarii omnes, etiam Parochi, attentantes praedictas personas, et quascunque alias, cum quibus, extra antedictos casus, quomodolibet impudice versati fuerint, a peccatis, quorum ipsi complices sint, nulliter absolvere. Qui omnes, etiam Regulares, etiam in Censuram suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservatam.

IX. Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis. Mulieres autem, si vere sint poenitentes, a quocunque Confessario a Nobis approbato absolvi possunt, gravi tamen imposita poenitentia salutari; et dummodo occasio proxima facta sit salutaribus mediis moraliter remota.

X. Qui contra dispositionem Sacrorum Canonum Clericos, quos noverint, ad Forum saeculare traxerint, etiam consentiente reo: extra casus hac in re tum in Bulla Coenae Domini, tum in Martini V. Constitutione *Ad reprimendas*, Summo Pontifici reservatos (1).

XI. Homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Coemeteriis, aut Sacristiis, aut publicis Oratoriis patrantes.

XII. Conficientes cujuscunque generis venena in homi-

---

(1) Nota quod ex concordato 1818. art. 20. omnes causae, exceptis causis ecclesiasticis, spectant ad forum laicale.

num perniciem; eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes; sive ad hoc qualitercunque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.

XIII. Cujusvis conditionis personae, quae libros in Civitatem, vel Diocesim introducunt, vel scienter introductos tradunt, aut traditos recipiunt, sive etiam de eadem Civitate, et Dioecesi extrahunt, priusquam a Deputatis nostris fuerint recogniti. Similiter Bibliopolae, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius praedictis Deputatis emptorum librorum catalogo. Transgressores autem etiam de nostra licentia nunquam absolvantur, quoad usque libros sine praedictis requisitis introductos, aut emptos, recognitioni subjecerint. Typographi similiter, et eorum Operarii, qui sine nostra, vel Vicarii nostri licentia libros, aut cujuscunque generis folia imprimunt; praeterea Auctores eorum, si typis mandent, vel quicunque mandari faciunt (1).

XIV. Qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, seu chartulas, quae eo tempore distribui solent in Metropolitana, vel in Parochiis, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione. Item illi, qui easdem non communicantibus quomodocunque accommodant in fraudem, aut utcunque cooperantes.

XV. Falsarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocunque vitiant, nimirum, vel eas diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo cum deteriori liga, aut sine legitimo Principis sigillo.

XVI. Sponsi, et Sponsae post contracta sponsalia, etiam privata inter se, et ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes; nec non parentes, consanguinei, et affines omnes, aut quicunque do-

---

(1) Nota quod nunc temporis hic casus intelligendus est juxta novissimi concordati an. 1818. articulum 24, cujus verba sunt: *Ogni qualvolta gli Arcivescovi ed i Vescovi ne' libri introdotti, o che s' introducono stampati, o che si stampano nel regno, troveranno qualche cosa contraria alla dottrina della Chiesa ed a' buoni costumi, il Governo non ne permetterà la divulgazione.*

mus curam habentes, eandem carnalem copulam, vel Sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes.

Casus Reservati, quibus non est adnexa excommunicatio.

I. Blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor.

II. Exercentes peccatum Sodomiae, vel cum Brutis coeuntes: ita tamen ut in his luxuriae casibus tantum masculi comprehendantur.

III. Confessarii omnes, etiam Curati, ad obscoena quaslibet personas sibi frequenter confitentes, licet non immediate post vel ante Confessionem, inducentes, seu sollicitantes, vel cum iis quomodolibet impudice tractantes.

IV. Medici, qui, visitantes in lecto infirmos, post tres dies a visitatione non curaverint, ut praedicti infirmi peccata sua idoneo Confessario confiteantur, aut alias non deseruerint, secundum terminos Constitutionum S. Pii V. et Innocentii XI. (1).

V. Debitores quorumlibet piorum locorum, sive eorundem debitorum Administratores, si intra mensem, etiam extrajudicialiter, requisiti a Rectoribus, Procuratoribus, seu Administratoribus dictorum locorum, redditus, et census non solverint.

VI. Non absolvantur Concubinarii, et Concubinae, etiamsi excommunicationis sententia in eos lata non fuerit, nisi, facta reali separatione et tori et domus, per duos menses se continuerint; vel nisi certo, aut valde

---

(1) Nota quod 1. hoc intelligitur de morbis gravibus (et in nostro regno de morbis periculosis): 2. sufficit si medicus infirmum moneat per alios, vel de facta confessione testimonium habeat: 3. non tenetur medicus infirmum monere, si moraliter sit certus eum esse in bono statu: 4. tunc tenetur infirmum deserere, quando adest spes, quod infirmus ex hac desertione resipiscat, uti patet ex Bulla, et periculum infirmo non immineat.

probabiliter constet factos phisice vel moraliter impotentes ad reincidendum; aut paulo post esse inter se matrimonium contracturos.

VII. Omnes utriusque sexus, qui a Dominica Palmarum, usque ad diem Ascensionis Domini (*nunc vero usque ad Dominicam SS. Trinitatis*) inclusive, Paschalis Communionis praecepto in Cathedrali, vel propria Parochia non satisfecerint, Interdicti poenam ex cap. *Omnes utriusque sexus. de Poenit. et remiss.* ipso facto incurrunt, a Nobis, sive facultatem a reservatis absolvendi a Nobis, vel Vicario nostro Generali habentibus, tantummodo relaxandam, dummodo non fuerint nominatim denuntiati.

Declaramus autem, praedictis omnibus exceptis, quorum nullam concedimus facultatem, praeter mortis articulum (*in quo ex Ciera juris tramite incedendum erit*) (1) Parochos in propria Paroecia, aliosque Confessarios tam Saeculares, quam regulares in eorum Ecclesiis, et ubique pro Sacerdotibus, et Infirmis, a Nobis, vel a Vicario nostro Generali approbatos, sive approbandos, audita integra Confessione, absolvere posse ab omnibus aliis Casibus, et Censuris, quae per Edicta, aut Synodales Constitutiones Nobis, sive Archiepiscopo Neapolitano reservantur (2).

---

(1) At ex Porpora semper ac in aliqua censurae reservatione excipitur articulus vel periculum mortis, tunc non est moribundo onus imponendum se praesentandi superiori, si convaluerit, sub poena reincidendi in eandem censuram, etsi absolvatur a simplici confessario vel sacerdote: et ejusmodi absolutio valet quoad omnes effectus. Tunc enim non est simpliciter suspensa reservatio ob impedimentum; sed datur directe facultas absolvendi, seu nulla habetur reservatio. Quare ex allata declaratione nostrae Synodi facultas conceditur absolvendi in mortis articulo ab omnibus censuris et casibus in tabella reservatis. V. edit. in fol. tract. XVIII, n. 543. 569.

(2) Quare patet, quod Parochi et Confessarii, etsi pro particulari Ecclesia approbati, possint Sacerdotum et infirmorum confessiones excipere, eosdemque absolvere *ubique* intra Dioecesis Neap. confinia. Vide Ciera dissert. 24 quaest. ultim. q. I. et Manzo part. III, n. 110.

Monemus tamen, et hortamur in Domino Parochos, et Confessarios omnes, tam Regulares, quam Saeculares, ut quamvis eis facultatem absolvendi ab aliis reservatis in hoc capite non contentis, vel non expressis, et a tribus etiam Casibus in Pagella Confessariorum expressis; Parochis vero absolvendi insuper Sponsos brevi contracturos, et eos qui Paschalis praecepto Communionis non satisfecerunt, concedamus: graviter tamen ipsi admoneant ante Absolutionem poenitentes hujusmodi de gravitate peccati, et Censura in quam inciderunt, ut dolentes magis poenitentiam agant, et in eadem peccata relabi formident. Satagant igitur ita se gerere in absolvendo, ac si toties a nobis concedatur facultas, quoties opus sit; et graviora satisfactionis opera imponant prout de jure in absolutione a reservatis. *Praeterea in eodem cap. sequuntur aliae declarationes de aliquibus casibus specialiter reservatis prout infra dicemus et subjungitur*: Denique ante decimum quartum aetatis annum completum neminem Censuris hisce, et Casibus comprehendi volumus.

Casus in D. N. Reservati extra Tabellam.

I. Personae omnes, sive laici sint sive Ecclesiastici, quamvis exemptae et privilegiatae, procurantes invitationem (*clamorosam*) ad Ecclesias Monialium ac Regularium occasione cujuscunque solemnitatis ac functionis incidunt in excom: Sum. Pontifici et Ordinario *specialiter* reservatam ex mandato Innocentii XI. 22 jan. 1677, uti habetur in nostra Synodo an. 1726 pag. 73 et 125.

II. Moniales omnes, etiam exemptae ac Apostolicae Sedi immediate subjectae, in Monasteriis, Conservatoriis, Collegiis, domibusque Oblatarum degentes, quae ultra statutum de *proprio* faciunt expensas *occasione officiorum*, aut ante aut post suscepta officia, pro quibuscunque functionibus, aut festivitatibus, incidunt in Casum sine censura Ordinario *specialiter* reservatum de mandato Clementis XI. 28 jul. 1708, prout eruitur ex Synodo Dioec. pag. 193, 280, et seq.

III. Contrahentes Matrimonium alia forma, quam Ecclesia Catholica praescribit, incidunt ipso facto in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam; nec non in privationem Sacramentorum tam in vita quam in morte, nisi errores retractaverint, damna et scandala refecerint, et juxta Ecclesiae Catholicae leges matrimonium celebraverint, vel a concubina discesserint. Insuper privantur sepultura ecclesiastica, et filii ex huiusmodi conjugio nati illegitimi habentur. Ita ex lege in nostra dioecesi lata ab E.mo Archiepiscopo Xysto Riario Sfortia litteris pastoralibus diei 23. jan. 1866.

Quomodo vero accipienda est haec reservatio, et quando cessat, patet ex declaratione ejusdem Archiep. 15 Feb. 1867, uti dictum est in nota de Matrim. Civili.

Nota, quod hic casus fuit etiam omni ex pare confirmatus ab hodierno Archiep. Sanfelice; ideoque non est a dictis recedendum.

Ad numerum XXVI. in D. N. reducuntur supradicti Casus, quorum octo sunt sine censura, et duodeviginti cum censura. Ex his autem XXVI. casibus sunt specialis mentionis, seu facultatis, et propterea vocantur casus *Sibi*, sequentes: 1. Locutio cum monialibus, aut aliis in monasterio degentibus de obscoenis, et alii actus impudici coram eisdem: 2. Expensae ultra statutum ratione officii factae a Monialibus aliisque in monasteriis, conservatoriis, collegiis, et domibus Oblatarum degentibus in quibuscunque functionibus aut festivitatibus: 3. Invitationes clamorosae ad Ecclesias Monialium et Regularium occasione functionum: 4. Suspensio Clerici ob falsum, fictum, aut fiduciarium, aut fraudulentum patrimonium: 5. Suspensio ab audiendis confessionibus, quam incurrunt Confessarii Regulares sollicitantes; et Confessarii tam Saeculares, quam Regulares absolventes complices in re turpi: 6. Concubinatus: 7. Matrimonium Civile: quibus accedunt casus *Nobis*, seu a Papa Episcopis reservati. Reliqui dicuntur *A nobis*, et sunt generalis reservationis.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

Constitutio qua ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur.

Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recentionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis ser-

vare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, non nisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes *latae sententiae* **speciali modo Romano pontifici reservatae.**

Itaque excommunicationi *latae sententiae* speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes (1).

---

(1) *Retinentes* h. e. librum sive alienum penes se, sive suum penes

III. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.

IV. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuntios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

VII. Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

IX. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in

---

alium, modo non deposuerint cum pacto non repetendi nisi post obtendam licentiam. *Imprimentes* h. e. quotquot proxime cooperantur ad impressionem, uti editor, typographus, typos componentes, chartas madefacientes, etc. non vero corrector, chartarum venditor, etc. *Defendentes* h. e. sive codicem, ne pereat vel ne Superiori tradatur, sive doctrinam damnatam.

forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

X. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

XI. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint (1).

---

(1) Nota quod hic casus est XVIII. Pontifici simpliciter reservatus.

Excommunicationes *latae sententiae* Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi *latae sententiae* Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena *latae sententiae*; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis prout damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Julii 1745; *Ubi primum* 2 Julii 1746; *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746.

II. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat (1).

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

IV. Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcunque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.

V. Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare iubentes aut violantes (2).

VI. Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum

(1) Quinam sunt casus excepti etc. vide De excommunicatione ob Clerici percussionem.

(2) Quomodo intelligenda est hujusmodi violatio, vide De Sacrilegio in adnotatione.

monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam (1).

VII. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI. Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 Januarii 1569 (2).

XII. Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede* pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam* 26 Junii 1592, et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono Kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus (3).

---

(1) Circa casus ac formam S. Pii V. vide dicta De Clausura in tract. de monialibus.

(2) H. e. Episcopis inferiores, qui *accepta pecunia* concedunt vel publicant indulgentias, aut sequentes gratias spirituales, nempe eligendi Sacerdotem qui se a reservatis absolvat; celebrandi aut sepeliendi tempore interdicti; edendi cibos vetitos; assumendi plures patrinos ad baptisma contra dec. Trid.; et absolvendi a simonia reali Pont. reserv. Ita ex cit. Const.

(3) In supradictis Constitutionibus excommunicatione mulctantur omnes illi, qui per se vel per alios agere studeant sive insinuare vel suadere Romano Pontifici alienationem vel infeudationem civitatum seu locorum ad S. Sedem pertinentium ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis. Avanzini.

XIV. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

XV. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes *latae sententiae* **Episcopis sive Ordinariis reservatae.**

Excommunicationi *latae sententiae* Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus.

I. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

II. Procurantes abortum, effectu sequuto (1).

III. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

---

(1) Procurare est *ex proposito aliquid quaerere:* hinc censura incurritur ab eo qui jubet vel mandat abortum fieri, qui ideo praegnanti terrorem incutit aut potionem tribuit, vel qui ideo eam percutit; non tamen ex voluntario indirecto, ut qui ipsam percutit ex odio, ira; nec ab eo qui consilium aut opem praestat procuranti, ut qui pharmacum simpliciter parat. At omnes isti semper gravissime peccant. Del Vecchio.

Excommunicationes *latae sententiae* **nemini reservatae.**

Excommunicationi *latae sententiae* nemini reservatae subiacere declaramus:

I. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae*. De Reb. Ecc. non alienandis (1).

IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV Constit. *Universi*, 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV. Const. *Sacramentum poenitentiae*, 1 Junii 1741 (2).

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo

---

(1) Constitutio *Ambitiosae* ita se habet: *Omnem rerum, et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omnemque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, et conductionem, vel contractum emphyteuticum*, praeterquam in casibus jure expressis, de quibus consule Scavini edit. Mediolani 1869. tom. III, n. 647 et seq. Porpora, aliosque probatos auctores. Nota vero, quod praeter actus nullitatem Episcopi et Abbates in nullam poenam incidunt post Const. *Ap. S.* Sed praelati inferiores vel ecclesiarum rectores amittunt beneficium, cujus bona alienarunt; et regulares privationem quoque incurrunt officiorum, inhabilitatem ad illa, nec non privationem vocis activae et passivae, uti de jure.

(2) Praedicti casus sunt capita sollicitationis; unde lege de sollicitatione.

Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones *latae sententiae* **Summo Pontifici reservatae.**

I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt Ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis absque, eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

IV. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio, quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta *latae sententiae* **reservata.**

I. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure in-

currunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint (1).

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus, praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus (1).

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive

(1) Nota quod per verba *nominatim excommunicatos* heic intelliguntur excommunicati ab Episcopis vel aliis Ordinariis, qui jurisdictione ac potestate pollent excommunicandi vel declarandi in foro externo excommunicatos; nam clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Rom. Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes incurrunt excom. Papae reser. cas. XVII. non vero interdictum ab ingressu Ecclesiae; quum poenae non sint multiplicandae pro eadem causa, nisi constet esse multiplicandas. Avanzini.

(1) Huc referri potest excomm. contra Ecclesiasticos et Missionarios in Indiis Orientalibus mercaturae operam dantes; a qua nemo, praeterquam in mortis articulo constitutus, potest absolvi, *nisi lucris hujusmodi prius restitutis*, juxta Const. Urbani VIII et Clementis IX, quae adhuc vigent prout declaravit Pius IX per Congr. S. I. die 4. dec. 1872.

a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV cap. VI de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulasquae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutio, nibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac

fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

MARIUS CARD. MATTEI *Pro-Datarius*
N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

Visa de Curia
DOMNICUS BRUTI.

Loco ✠ Plumbi . I. CUGNONI

Adnectuntur censurae Tridentini, quae juxta Petrum Avanzini in suo robore permanent post allatam *Constitutionem*.

§ I.

Excommunicatio Pontifici reservata contra usurpatores quorumcumque bonorum aut jurium ecclesiasticorum ipsis Tridentini verbis expressa. Sess. 22, cap. 11, de refor.

« Si quem clericorum vel laicorum quacumque is di-
« gnitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tan-
« tum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut
« alicuius ecclesiae seu cuiusvis saecularis vel regularis
« Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum loco-

« rum jurisdictiones, bona, census ac jura etiam feuda-
« lia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascum-
« que obventiones, quae in ministrorum et pauperum ne-
« cessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore
« incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum
« aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quae-
« sito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare
« praesumpserint, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure
« pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subjaceat,
« quamdiu iurisdictiones, bona, res, fructus et redditus,
« quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque,
« etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint,
« ecclesiae eiusque administratori sive Beneficiato inte-
« gre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolu-
« tionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae patronus
« fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas eo
« ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandae frau-
« dis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consen-
« tiens fuerit, eisdem poenis subiaceat, nec non quibus-
« cumque Beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia
« Beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum exe-
« cutione etiam post integram satisfactionem et absolutio-
« nem sui Ordinarii arbitrio suspendatur ».

Nota quod sub hac sanctione non comprehenduntur subtrahentes decimas aut eas impedientes, uti legitur in cap. 12, sess. 25. de refor: sed comprehenduntur illi, qui bona usurpata emunt ab usurpatoribus; quia eadem bona in proprios usus convertunt usurpando *sub colore contractus*; quum noscant usurpatorem neque dominum eorum esse, neque legitimum administratorem.

§ II. **Excommunicationes nem. reser.**

1. Contra raptores mulierum, eorumdemque consocios. Sess. 24, ex cap. 6, de Refor. matr.

« Decernit Sancta Synodus inter raptorem et raptam,
« quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum

« posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore « separata et in loco tuto et libero constituta illum in vi- « rum habere censuerit, eam raptor in uxorem habeat, « et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, au- « xilium et favorem praebentes, sint ipso jure excom- « municati ».

2. Contra violantes matrimonii libertatem. Sess. 24, ex cap. 9, de Refor. matr.

« Ita plerumque temporalium dominorum ac magistra- « tuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates « excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum jurisdictione « degentes, maxime divites vel spem magnae haereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimo- « nium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magi- « stratus illis praescripserint. Quare, cum maxime nefa- « rium sit Matrimonii libertatem violare et ab eis iniu- « rias nasci, a quibus iura expectantur; praecipit Sancta « Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis, et « conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso « facto incurrunt, ne quovis modo directe vel indirecte « subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus « libere matrimonia contrahant ».

3. Contra cogentes, vel impedientes mulierem ad ingrediendum monasterium. Sess. 25, cap. 18 de Reg.

« Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes et singu- « las personas, cuiuscumque qualitatis vel conditionis fue- « rint, tam Clericos quam Laicos, saeculares vel regula- « res, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quome- « dolibet coegerint aliquam virginem vel viduam, aut « aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus « in jure expressis (1), ad ingrediendum monasterium vel

(1) Casus in iure expressi sunt duo: nempe 1. Ex Innocentio III, quando mulier, quae dedit licentiam viro, ut profiteatur, votum fecit castitatis, sed de ejus continentia suspicio haberi potest; quia tunc debet compelli religionem intrare: 2. ex Gregorio IX quando mulier, quae. relicto maritali toro, lapsu carnis cecidit, si maritus eam ad frugem melioris vitae conversam recipere noluerit propter

« ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel « ad emittendam professionem; quique consilium, auxi- « lium, vel favorem dederint; quique scientes eam non « sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere, aut « professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel « praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposue- « rint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sancta- « rum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli « accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta « causa impedierint (1) ».

§ III. Suspensiones et interdicta.

1. Adversus eos qui variis modis violant canones de sacra ordinatione.

Sess. 23, ex cap. 8, de Ref. « Unusquisque autem a pro- « prio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promo- « veri petat; nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis « aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam « statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac « mores, ordinarii sui testimonio, commendentur. Si se- « cus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et « ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu « proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus ».

Sess. 23, ex cap. 14 de Ref. « Cum promotis per sal- « tum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa « possit dispensare ».

Deum, in claustris cum religiosis mulieribus decet collocari, ut perpetuam poenitentiam ibi agat.

(1) Ad haec excommunicantur etiam Magistratus, qui ad instantiam Episcopi non tuentur clausuram monialium. Sess. 25. cap. 5. de Regul. At hodie in desuetudinem abiit. Avanz.

En igitur excommunicationes Trid. confirmatae per Const. *Ap. S.* quae spectant ad Ecclesiae disciplinam; nam quoad doctrinam plurimae sunt, et indicantur in fine canonum dogmaticorum per verba: *Anathema sit*: haeque, utpote contra haereses, sub Cas. I. speciali modo reservantur.

Sess. 7, cap. 10, de Ref. « Non liceat capitulis, sede « vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licen- « tiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui « vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam « cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui « Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione « arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum « contraveniens ecclesiastico subiaceat interdicto: et sic « ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, « nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus « gaudeant: in majoribus vero ab exsecutione Ordinum « ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi ».

Sess. 23, cap. 10, de Refor. « Abbatibus ac aliis qui- « buscumque, quantumvis exemptis, non liceat in poste- « rum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam « si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, « qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel mi- « nores ordines conferre; nec ipsi Abbates et alii exem- « pti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam eccle- « siarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus cle- « ricis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. « Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae « in huius Sanctae Synodi Decretis continentur, ad Epi- « scopos, intra quorum Dioecesis fines existant, pertineat; « non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus « aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam « quoque impositam iis, qui, contra huius Sanctae Synodi « sub Paulo III. Decretum, a Capitulo, episcopali sede « vacante, litteras dimissorias impetrant; ad illos, qui « easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis « in iurisdictione Episcopi, loco Capituli, sede vacante, « succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes « autem dimissorias contra formam Decreti ab Officio et « Beneficio per annum sint ipso iure suspensi ».

Sess. 6, cap. 5 de Ref. « Nulli episcopo liceat, cuiusvis « privilegii pretextu, pontificalia in alterius Dioecesis « exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in

« personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si secus « factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et « sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso iure su- « spensi ».

Sess. 14, ex cap. 2, de Ref. « Nemo Episcoporum, qui « titulares vocantur, etiam si in loco nullius Dioecesis, « etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis « resederint aut moram traxerint, vigore cuiusvis privi- « legii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes « pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prae- « textu familiaritatis continuae commensalitatis suae, « absque sui proprii Praelati expresso consensu aut lit- « teris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordi- « nes vel primam Tonsuram promovere seu ordinare va- « leat. Contra faciens ab exercitio Pontificalium per an- « num, taliter vero promotus ab exsecutione Ordinum sic « susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso « iure sint suspensi ».

II. Adversus eos, qui sponsis in contrahendo matrimonio illegitime benedicunt.

Sess. 24. cap. 1, de Ref. « Eadem Sancta Synodus hor- « tatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in « templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, « statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, nec « a quoquam, nisi ab ipso Parocho vel ab Ordinario li- « centiam ad praedictam benedictionem faciendam alii « Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam « immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel « privilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius « Sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id « sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine lice- « re contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum « Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere « ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quam- « diu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio inte- « resse debebat seu a quo benedictio suspicienda erat, « absolvatur.

III. Adversus Episcopos non denuntiantes alios illegime absentes.

Sess. 6, ex cap. I. de Ref. « Crescente vero contumacia *(Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus)* « ut severiori ss. canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso « incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium « Romano Pontifici denuntiare teneatur ».

Sess. 23, ex cap. 14, de Ref. « Episcopi quoque, quod « absit, si ab huiusmodi crimine (*concubinatus*) non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.

Ad majorem claritatem vero et complementum recole huc dicta in Sacramento Ordinis.

Declarationes S. Officii de sollicitatione *sub die 11 feb. 1661.* **approbatae et confirmatae a Ben. XIV. in bul.** *Sacramentum Poenitentiae.*

1. An sit denuntiandus confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat? R. *Domini qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

2. An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus? R. *Censuerunt incidere, et confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.*

3. An confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus? R. *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae; et si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.*

4. An confessarius, qui foeminam in confessionali dicentem se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat et a confessione dissuadet, sit denuntiandus? R. *Si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem: secus si in confessionario, seu in loco confessionis.*

5. An sacerdos carens jurisdictione, si sollicitat in confessione poenitentem, sit denuntiandus? R. *Censuerunt esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*

6. An interpres, si sollicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus? R. *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

7. An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denuntiandus? R. *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

8. An quando confessarius et poenitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus? R. *Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.*

9. An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus? R. *Censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

10. An confessarius incidat in poenas Constitutionis Apostolicae contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis Sacramentis, scilicet Baptismi, Matrimonii, et sit denuntiandus, et denuntiatus possit ab Inquisitoribus puniri? R. *Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

11. An confessarius, qui sollicitat poenitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus? R. *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

12. An confessarius, si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus? R. *Censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem.* (1)

---

(1) Illud *probabile est* in usu Theologiae, si cum alia opinione non

13. An sit denuntiandus confessarius, qui propter sollicitationem alterius abjuravit (1)? R. *Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum: quod etiam fuit resolutum die 26. julii 1628.*

14. An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? R. *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

15. An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in Confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem? R. *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

16. An denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitasse? R. *Idem responderunt quod ad duodecimum.*

At enim quid est quod praedicta decreta Sanctae Inquisitionis edita jam ab anno 1661. nunc autem ad praxim reducuntur in hoc libello? Ratio est, quia Sacra Congregatio anno 1875. interrogata a Can. Poenitentiario Eccl. Cathed. Neap., utrum circa interpretationem clausularum sollicitationis standum sit variis Theologorum sententiis, respondit: *Standum esse decretis Sanctae Romanae Universalis Inquisitionis.*

---

fiat comparatio, idem est ac dicere, quod illa opinio valida ratione sustinetur, et tuto teneri potest. Scavini.

(1) H. e. coram Inquisitoribus haeresim detestavit, eo quod sollicitator est de haeresi suspectus.

INDEX

Tractatuum et capitum.

Theologiae moralis Prolusio . . . . . PAG. 1
De actibus humanis . . . . . » 3
De voluntario et involuntario. . . . . » *ibi*
De concupiscentia . . . . . » 5
De vi, et metu . . . . . » 6
De ignorantia. . . . . » 9
De moralitate actuum humanorum . . . . . » 13
De conscientia . . . . . » 14
De conscientia recta, et erronea. . . . . » 15
De conscientia probabili . . . . . » 17
De conscientia dubia . . . . . » 20
De conscientia scrupulosa . . . . . » 24
De legibus . . . . . » *ibi*
De legis natura, et divisione . . . . . » *ibi*
De iis, qui possunt condere leges humanas, et de iis, qui debent eas servare. . . . . » 25
De materia, et obligatione legis humanae. . . . . » 28
De modo, quo observandae sunt leges. . . . . » 29
De cessatione legis . . . . . » 30
De peccatis . . . . . » 33
De distinctione, et circumstantiis peccatorum . . . . . » 36
De consuetudinario, recidivo, et occasionario. . . . . » 38
De delectatione morosa. . . . . » 40
De quibusdam peccatis in specie . . . . . » 42
De blasphemia . . . . . » *ibi*
De sacrilegio . . . . . » 43
De scandalo . . . . . » 45
De furto . . . . . » 47
De mendacio . . . . . » 50
De judicio temerario et suspicione . . . . . » 51
De detractatione, contumelia, et libello famoso . . . . . » 52
De secreti manifestatione . . . . . » 53
De homicidio. . . . . » *ibi*
De duello . . . . . » 55
De abortu . . . . . » 57
De peccatis turpibus . . . . . » 58
De sollicitatione . . . . . » 63
Mantissae loco pauca de peccatis capitalibus. . . . . » 68

De virtutibus theologicis . . . . . PAG. 70
De fide. . . . . » 71
De vitiis fidei oppositis, et primo de infidelitate. . . . . » 74
De haeresi. . . . . » *ibi*
De apostasia, et schismate . . . . . » 77
De lectione librorum prohibitorum . . . . . » 78
De spe . . . . . » 79
De charitate . . . . . » 80
De religione . . . . . » 83
De juramento. . . . . » *ibi*
De voto. . . . . » 85
De vitiis religioni oppositis . . . . . » 92
De simonia . . . . . » *ibi*
De superstitione . . . . . » 100
De mesmerismo et tabulis rotantibus . . . . . » 103
De contractibus. . . . . . » 105
De contractibus in genere. . . . . » *ibi*
De qualitatibus contractuum . . . . . » 106
De iis, quae essentialiter requiruntur ad valorem contractus. » 109
De juramento contractui addito . . . . . » 114
De restitutione in integrum . . . . . » 115
De contractibus in specie. . . . . . » 116
De emptione, et venditione . . . . . » *ibi*
De evictione . . . . . » 120
De negotiatione, et monopolio . . . . . » 121
De societate . . . . . » 122
De locatione, et conductione . . . . . » 124
De censu et emphyteusi . . . . . » *ibi*
De cambio. . . . . » 126
De fidejussione . . . . . » 127
De assecuratione. . . . . » *ibi*
De ludo. . . . . » 128
De sponsione . . . . . » 129
De deposito . . . . . » *ibi*
De commodato . . . . . » 130
De promissione . . . . . » *ibi*
De donatione . . . . . » 132
De mutuo, et usura. . . . . » 133
De pignore et hypotheca . . . . . » 138
De testamentis . . . . . » 139
De restitutione . . . . . » 142
De possessore bonae, et malae fidei rei alienae. . . . . » 146
De restitutione fructuum . . . . . » 147
De expensis factis a possessore bonae , vel malae fidei . . » 148
De tempore, loco, et expensis, quibus facienda est restitutio. » 149
De concausis restitutionis. . . . . » 150
De ordine servando in restitutione quod ad concausas. . . » 155

De obligatione restitutionis ob injustum impedimentum boni alieni . . . . . PAG. *ibi*
De restitutione rei acceptae ob turpem causam . . . . . » 165
De obligatione restituendi ratione facinorum aliis damnum causantium. . . . . » 157
De personis, quibus facienda est restitutio . . . . . » 159
De ordine servando in restitutione facienda, quando bona defuncti non sufficiunt. . . . . » 160
De causis, quibus suspenditur obligatio restitutionis . . . » 161
De causis, quibus tollitur obligatio restitutionis. . . . . » 163
De sponsalibus. . . . . . » 168
De matrimonio. . . . . . » 174
De matrimonio civili . . . . . » 177
De indissolubilitate matrimonii . . . . . » 179
De divortio . . . . . » 180
De debito conjugali. . . . . » 182
De impedimentis matrimonii . . . . . » 183
De impedimento erroris, et conditionis . . . . . » 184
De impedimento voti, et ordinis. . . . . » 185
De impedimento cognationis . . . . . » 186
De impedimento criminis . . . . . » 190
De impedimento disparitatis cultus . . . . , ... » 192
De impedimento vis. . . . . » *ibi*
De impedimento ligaminis. . . . . » *ibi*
De impedimento publicae honestatis . . . . . » 193
De impedimento affinitatis . . . . . » 194
De impedimento aetatis . . . . . » 196
De impedimento impotentiae . . . . . » *ibi*
De impedimento clandestinitatis. . . . . » 197
De impedimento raptus. . . . . » 199
De modo, quo convalidari potest matrimonium nullum, et de dispensatione in impedimentis. . . . . » 200
De formula dispensandi in foro interno . . . . . » 203
De poenitentia . . . . . » 204
De materia sacramenti poenitentiae. . . . . » 205
De forma sacramenti poenitentiae . . . . . » 213
De ministro hujus sacramenti . . . . . » 215
De sigillo sacramentali. . . . . » 216
De reservatione casuum . . . . . » 218
De poenis canonicis . . . . . » 224
De censuris in genere . . . . . » *ibi*
MONITA — *Pro impertienda absolutione usurpatoribus ac detentoribus bonorum Ecclesiae* . . . . . » 228
De excommunicatione . . . . . » 234
De excommunicatione ob clerici percussionem . . . . . » 239
De suspensione . . . . . » 241
De interdicto. . . . . » 242
De irregularitatibus . . . . . » 244

De infamia, depositione, et degradatione . . . . . PAG. 251
Appendices . . . . . » *ibi*
De praeceptis Decalogi. . . . . » *ibi*
De I. Praecepto . . . . . » *ibi*
De II. Praecepto. . . . . » 252
De III. Praecepto, seu de festorum observantia. . , . . » *ibi*
De IV. Praecepto, seu de officiis inferiorum erga superiores. et viceversa . . . . . » 255
De V. Praecepto. . . . . » *ibi*
De VI et IX. Praecepto . . . . . » *ibi*
De VII et X. Praecepto . . . . . » *ibi*
De VIII. Praecepto, seu de judicio legali ejusque participantibus. » 256
De Praeceptis ecclesiae . . . . . » 259
De III. Ecclesiae praecepto, seu de jejunio . . : . . . . » *ibi*
De IV. et V. Ecclesiae Praecepto, seu de annua communione et confessione. . . . , ... » 262
De Decimis Ecclesiae solvendis . . . . . » 263
De sacramentis. . . . . » 264
De sacramentis in genere. . . . . » *ibi*
De sacramentis in specie. . . . . » 266
De Baptismo, et Confirmatione . . . . . » *ibi*
De Eucharistia, prout est Sacramentum . . . . . » 268
De Eucharistia, uti sacrificium . . . . . » 269
De Sacramento extremae Unctionis . . , ... » 271
De Sacramento ordinis. . . . , ... » 273
De Matrimonio conscientiae et in extremis . . . . . , » 277
Impedimenta dirimentia ex iure civili italico. . . . . » 278
Tractatus de monialibus . . . . . » 280
De statu religioso, de professione, et de dote . . . . . » *ibi*
De voto paupertatis. , ... » 282
De voto obedientiae. . . . . , ... » 283
De voto castitatis et de clausura . . . . . » 284
De aliis monialium obligationibus . . . : . . . . . » 287
De velo. . . . . , : . . . . . » *ibi*
De electione abbatissae. . . . . » 288
De educandis, et novitiis . . . . . , ... » 289
De confessariis monialium. . . . . » 390
Tabella casuum in Dioec. Neap. Reservatorum . . . . » 292
Casus reservati cum excommunicatione . . . . . » *ibi*
Casus reservati absque excommunicatione. . . . . » 297
Casus reservati extra tabellam . . . . . » 299
Constitutio Pii IX — *Apostolicae Sedis*. . . . . » 301
Excom. latae sent. speciali modo R. P. reservatae . . . » 302
Excom. latae sent. R. P. simpliciter reservatae. . . . . » 305
Excom. latae sent. nemini reservatae . . . . . » 308
Suspensiones latae sent. Sum. Pont. reservatae. . . . : » 309
Interdicta latae sent. reservata . . . . . » 310
Censurae Trid. . . . . » 313

Excommunicatio Pont. reservata . . . . . PAG. 313
Excommunicationes nemini reservatae. . . . . » 314
Suspensiones et interdicta. . . . . » 316
Declarationes S. Officii de sollicitatione *sub die 11 feb. 1661.* » 319

Deo et B. M. V. Immaculatae honor et gloria.

XIII. Kal. Augusti MDCCCLXXXI.
Nihil obstat.
FRANC. P. FEOLA Cens. Theol.
Imprimatur
JOSEPH Can. MOLINARI Dep.